THAVMATVRGI PHYSICI PRODROMVS,

Id eſt

PROBLEMATVM

Phyſicorum Liber ſingularis, lectu iucundus & vtilis.

Ad

Cl. V. ÆGIDIVM GELENIVM.

A. D. I. M.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ
Apud CONSTANTINVM Münich/
Anno M. DC. XLIX.
Cum ſpeciali gratia & Priuilegio S. C. M.

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO
& Ampliſſimo Domino,

Dn. ÆGIDIO GELENIO

S. THEOL. LICENTIATO, PROTONOTARIO APOSTOLICO, INSIGNIS ECCLESIÆ Collegiatæ S. ANDREÆ Coloniæ Canonico & Scholaſtico, Reuerendiſſimi & Sereniſſimi Principis Electoris Colonienſis Hiſtoriographo & Conſiliario, Domino ſuo & amico incomparabili.

FELIX neceſsitas quæ ad meliora compellit. Illâ ego nuper implicatus, de ipſius felicitate nihil ſtatuere poſſum, niſi quis has phyſicas exercitationes a-

liquod maius bonum afferre poſſe arbitretur, quàm à victo dolore animo, otium ſolitudinemqúe flagitante, obtineri debuiſſet. Ea enim tum acciderunt, ſatis mediusfidius robuſta & valida ad conſtantiſſimum quemque deijciendum & proſternendum, quæ mihi in primis ruborem & indignationem, deinde triſtitiam & mœrorem pene fatalem, timorem mox & metum attulerunt, tandemqúe ita conſternarunt, inopemque reddiderunt conſilij, vt, aut deiectione animi periundum fuerit, aut conquirenda præſidia aduerſus calamitatem tam pertinaciter incubantem. Oportune tantum accidit, vt Problemata quædam Phyſica diſcutienda ſe offerrent; quibus animus à nimis attenta ærumnarum ſuarum meditatione auocaretur. Quod niſi datâ operâ fuiſſet factum, non fruſtra metuebam, ne aſſidua malorum ruminatio vel inſomniam induceret, & ex ea maniam; aut mœrorem vere lethalem. Dedi igitur iſtud mihi negotij, tantoqúe ex neceſ-

neceſſitate exercui me lubentius, quod Philoſophia moralis & Theologia magna ex parte occupatæ ſint in rectè dirigendis & informandis moribus naturalibus hominum, vt ſint congrui cum lege honeſtatis & verbo diuino; multaq́ue occurrant Theologiæ initiatis, quæ rite diſcuti non poſſunt niſi ad regulas & principia Phyſicæ.

Quam vero hîc poſui operã, quamuis illa exigua & valde interturbata fuit, viſum eſt præclaro nomini tuo, Vir eruditiſſime, inſcribere, vt qui me intime noueris: ideoque contra maleuolos quoſdam obtrectatores iure amicitiæ tueri velis; auctoritate qua apud Principes & Magnates polles, etiam poſſis. Hanc enim non ambitus, aut adulandi artes tibi conciliarunt; ſed indefeſſus ſtudiorum labor, omnimoda & exacta hiſtoriarum cognitio, iuris Diuini ſcientia, diſciplinæ Eccleſiaſticæ zelus, integri mores, & pectus carens probro. Vt mihi nequaquam metuendum ſit, ne ex defenſione innocentiæ meæ, flagranti eo-

rum gratia excidas. niſi iam virtuti & eruditioni nullum ſuperſit pretium, totiusqûe politiæ ſtatus conturbatus penitus intercidat. Ad hæc, veluti amici vel abſentes, vel mox abituri, aliquod beneuolentiæ mnemoſynon ſtatuunt, & plerumque amicitiæ teſſeram inſcribi curant feneſtris vitreis: ita hanc gratitudinis notam depingo in charta, quo aliquantulum diutius perſeueret, ſi ita viſum Superis. Sciantque vtrique noſtrum bene affecti, vixiſſe olim in Vbijs, quorum alter beneficium non male collocare, alter bene vti nouerant: nosqúe magno animorum conſenſu aliquantulum decurriſſe in ſtadio litterario, atque in eo ſaltem aliquod, licet ex parte mea tenue, profectus reliquiſſe veſtigium. Quod ij non faciunt qui inerti otio & voluptatibus ſe dedunt; libros, honeſtarumqúe rerum ſtudia auerſantur. Ceterum opto cum Ouidio,

Tecum, quos dederint annos mihi fila Sororum,
Viuere contingat, teq́ dolente mori.

Et ſi

Et ſi hunc pium affectum, exiguumq; pauperis amici munus non fueris aſpernatus; cogitareqúe & cum animo tuo ſtatuere velis, non quantum, ſed ex quanto detur: erit vnde ægrimoniæ animi, ſi poſſim, modum ſtatuam, & lætiora ſperare audeam.

INSCRIPTVM EIVSDEM
AMICORVM ALBO.

Sorte bona vt primum te, Vir doctiſſime, vidi,
Non poterant mores non placuiſſe tui:
Acris mens animi terſiſſima, candor in ipſis
Mox verbis, graue ſed pondus in hiſtoria.
Quod ſelecta tibi antiquorum cura librorum,
Digna Cedro proprio condere Marte potes;
Et quaſi ſepoſitis curis ſit ſola voluptas
In ſtudio; ampla nitet codicibusq; domus.
Iſtud quam ex merito, Vir praeſtantiſſime: namq;
Viuitur ingenio, cetera mortis erunt.
Rara ſibi virtus doctrinam iungere gaudet:
Dicendus quiſquis ſe probat ipſe bonis.
Debendiq; ream tibi ſe Agrippina fatetur,
Quod curam illius poſteritatis habes.

* * *

PRO.

Digitized by Google

PROBLEMA I.

Quomodo quis deprehendere poßit eos, qui maleficum corporis, aut obſeßionem à dæmone ſimulant.

NEceſſe eſt, inquit Lactantius *lib. 4. inſt. c. 27.* veram eſſe hanc religionem, quæ & rationem dæmonum nouit, & aſtutiam intelligit, & vim retundit, & eos ſpiritualibus armis domitos ac ſubactos cedere ſibi cogit. Saluator ſiquidem noſter *Luc. 10.* Septuaginta duobus diſcipulis in meſſem Euangelicam à ſe miſſis ait: *Ecce dedi vobis poteſtatem ſuper ſerpentes* infernales ſcil. quorum alij lingua, id eſt palam; alij cauda, id eſt occulte nocent: *& ſuper omnem virtutem inimici.* Quibus tamen verbis ſatis clare videtur inſinuari, miniſtris Eccleſiæ opus eſſe, vt peculiarem à Chriſto poteſtatem accipiant, quò inuocatio nominis eius effectum ſortiatur. Eapropter Auguſtinus quoq; docet *lib. 83. quæſtionum q. 79.* dæmones aliquando nolle cedere, ipſo Deo occultis modis prohibente ne cedant, cum ſcilicet id iuſtum & vtile iudicat. Hoc autem facit vel ad malos confundendos, veluti Sceuæ filijs contigit *Act. 19. verſ. 15.* Vel ad admonen-

dos bonos, vt proficiant in fide, atque iſta non iactanter, ſed vtiliter poſſint: Vel denique ad diſcernenda dona membrorum Eccleſiæ, ſicut Apoſtolus ait, Numquid omnes virtutes? Atqui ſi apud hæreticos nulla virtus, non igitur omnia dona à Chriſto Eccleſiæ collata habent, ergo nec ipſi ſunt in Eccleſia. Quam tamen obſeruationem non eò præcipue hîc annoto, vt hinc pro veritate fidei Catholicæ contra hæreſes præſcribam; quæ ideo poteſtatem nullam ſupra dæmonia habent, quia contra illa, Deum pro ſe non habent, ideoque exorciſmos adhibere non audent: ſed ex Antiquitate & ratione vt oſtendam, quàm tardè credendum ſit humanorum corporum maleficiatio, vel obſeſſio à dæmonibus; quantæq; ſæpius in huiuſcemodi miſerrimis hypocritis fraudes lateant; quamque varia poſſint ex arte, quæ videantur naturæ vires excedere, fieriqúe à malis genijs.

In cuius rei inueſtigatione conſulendum inprimis cenſeo Auguſtinum, cuius diuinum ingenium nihil eorum latuit, quorum perceptio quempiam iuuare poteſt. Is *l. 14. de ciu. c. 24.* inquit, Hominum quorundam naturas nouimus multum ceteris diſpares: & ipſa raritate mirabiles, nonnulla de corpore ſuo facientium, quæ alij nullo modo poſſunt, & audita vix creduntur.

CANON I.

Sunt qui eorum quæ vorauerunt incredibiliter plurima & varia paululum præcordijs contractis, tumquam de ſacculo quod placuerit integerrimum proferunt.

FIt igitur hoc naturaliter: vt mirum ſit, ſi hodierni exorciſtæ pro indubitato maleficij indicio habeant, & quaſi contra naturam ſit, ſi mulierculę aciculas, lapillos, particulas clauorum, fila, crines euomant, quaſi non potuerint eadem antea deuoraſſe. Fraudem hîc aliquando interuenire exinde colligo, quod illa plerumque eijciant, quæ ſunt ad manum. Vnde ſi maleficiata euomat aliquid eiuſcemodi cuius antea nihil in domo viſum, euidentius erit ſignum, id oblatum à diabolo, & maleficiato corpori inditum. Non quod negemus diabolum poſſe abuti rebus domeſticis & ad manum poſitis, ſed quia nobis ſufficiens ratio ſuſpicandi illa fieri naturaliter & in fraudem. Vidimus ſæpe agyrtas illos circumforaneos aliquot vlnas telæ ſericæ bacillo ex ore extrahentes, quas clanculo prius in ore abdiderant. Aliquando adſtitit mihi vir doctus, ſed nimis credulus & ſimplex, qui negaret id poſſe fieri niſi arte diabolica; cum tamen nihil eſſet niſi lepidiſſima impoſtura.

CA-

CANON II.

Quidam voces auium pecorumque, & aliorum quorumlibet hominum ſic imitantur atq; exprimunt, vt niſi videantur, diſcerni omnino non poſſint.

DE Parmenone quodam Plutarchus refert, eum voces variorum animalium & præcipuè ſuis, adeò dextrè exprimere ſolitum, vt apud Græcos in parœmiam abierit, cùm quis non perfectiſſimum artis ſuæ exhiberet ſpecimen, Nihil ad Parmenidis ſuem. Et hoc tamen naturali vocis inflexione faciebat, nec hac in re aliqua dæmonis ope indiguit. Noui qui ita gallinam exprimat, vt gallinaceos ad ſe pelliceat: item magni cuiuſdam venatoris famulum, qui tam ſcite latrat, atque aliquis de grege canis. Vnde Antuerpiæ cum eſſem, puellaque duodecennis diceretur obſeſſa à dæmone, eo quòd aliqualiter latratum caniculæ ederet, non potui id exorciſtæ illius aſſentiri, qui illud pro euidenti obſeſſionis ſigno habebat; quod putarem alia debere accedere indicia, quùm puella id per ſe facere & ſimulare potuerit, præcipuè cum ſatis aſtuta eſſet & nequicula.

CA-

Canon III.

Nonnulli ab imo ſine pœdore vllo ita numeroſos pro arbitrio ſonitus edunt, vt ex illa etiam parte cantare videantur.

Talis, inquit Ludouicus Viues annot. ad hunc locum, fuit in comitatu Maximiliani Cæſaris, & Philippi eius filij, nec vllum erat carmen ſiue vox cantilenæ, quam ille crepitibus podicis non redderet. Et ſi contingat huiuſcemodi virum vel feminam, qui praxim illam calleant, ſe ſimulare obſeſſos à dæmone, quis non primo congreſſu arbitrabitur ventriloquum aut pythoniſſam? cum reſponſum aliquale ad ſingula depromere poſſint ab imo. Qui enim in vulgata editione *1. Reg. 28.* magi appellantur, à LXX. engaſtimyti dicti ſunt. Pagnines vertit pythones, id eſt per vmbilicum reſponſum reddentes. Pytme enim Græce infimam partem ſiue fundum ſignificat. Quæ niſi exorciſta ſciat, etiam aliàs vir bonus & expertus; facilè falletur. Vnde neceſſe medicos & phyſicos conſulat, qui ſciunt quot muliebres paſſiones ſint ab vtero, quas ſimpliciores putant à dæmone vel maleficio.

CANON IV.

Ipſe ſum expertus, ſudare hominem ſolere cum vellet.

ID ſolo voluntatis imperio fieri, abſque vlla corporis agitatione, aut acceſſu febrium, valde mirum eſt: attamen verum. Quis id Auguſtino, qui coram vidit & expertus eſt, non credat? Hinc, quamuis energumeni, dum exorziſantur, ſudore diffluere videantur, non eſt euidens obſeſſionis ſignum; cum id prouenire poſſit à lenta aliqua febri, animi conſternatione, vel nimiâ iactatione corporis. vt nihil de ijs dicam qui & nunc, veluti olim, ſudare queant quando velint, præcipuè ſi compreſſo intra labia halitu nonnihil enitantur. Nec ergo ſudor in obſeſſis infallibile ſignum.

CANON V.

Notum eſt, quoſdam flere cum volunt, atque vbertim lacrymas fundere.

IN primis mulieres, quæ ita à mollitie, teſte Varrone, dictæ ſunt. Harum naturam Ouidius deſcribit:

Quò nō ars penetrat? diſcunt lacrymare decēter:
Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.

Idem

Idem alibi dicit ſeminam

Vberibus ſemper lacrymis, ſemperq́ paratis
In ſtatione ſua, atque expectantibus illam
Quo iubeat manare modo.

Lacrymæ nempe promptæ & paratæ ſemper ſunt ad omnem dominę nutum & voluntatem. Quod igitur indicium eſſe poterit vel obſeſſionis vel maleficij, ſi ſyncopen ſiue deliquium animi diſſimilantes, aut reuera patientes, copioſius fleant, aut eiulentur, dum exorziſantur.

CANON VI.

Iam illud multò eſt incredibilius, quod plerique fratres memoria recentiſſima experti ſunt. Presbyter fuit quidam nomine Reſtitutus in parœcia Calamenſis Eccleſiæ: qui quando ei placebat, rogabatur autem vt hoc faceret ab eis qui rem mirabilem coram ſcire cupiebant, ad imitatas quaſi lamentantis cuiuslibet hominis voces, ita ſe auferebat à ſenſibus, & iacebat ſimillimus mortuo: vt non ſolum vellicantes atque pungentes minime ſentiret, ſed aliquando etiam igne vreretur admoto, ſine vllo doloris ſenſu niſi poſtmodum ex vulnere. non autem obnitendo, ſed non ſentiendo non mouere corpus, eo probabatur, quod tamquam in defuncto nullus inueniebatur halitus: hominum tamen voces, ſi clarius loquerenter, de longinquo ſe audire poſtea referebat.

Ex

EX qua veridica relatione ſic philoſophor, non ex illa fabuloſa apud Plinium, qui ſcribit de Hermotimo Clazomenio, quod eius anima relicto corpore vagari eſſet ſolita, & quæ in longinquis viderat regionibus narrare: Si corpus ita in plurimis motibus & affectionibus extra vſitatum naturæ modum mirabiliter ſeruiat; quid cauſæ eſt, cur non credamus etiam hiſce temporibus aliquem eiuſcemodi inueniri? Vt quis quæſtus gratia ſe auferat à ſenſibus, atque tum quaſi è longinquo circumſtantium & exorziſantium voces audiat, poſteaque quædam referat, vnde non ipſe putetur loqui, ſed inſeſſor dæmon? Quantum iſtac in re ſapio, quod fateor valde exiguum, aſſerere tamen auſim; ſi de fictis illis energumenis quandoque haberetur quæſtio, tormentiſque exprimeretur veritas, non vnum vnicum, ſed plures deprehendendos iſti Reſtituto Presbytero ſimiles. Quod inconditos quidam ſonos edant, ſpumaſque voluant, leuiſſima maleficij aut obſeſſionis nota. Iſtam praxim pueri quidam malitioſi, ne vbi malè egerint vapulent, apprimè callent: affricant gingiuæ aliquid ſmigmatis, & copioſè ex ore ſpumant. Adde quòd plures iraſci, vel præcipitantius loqui non poſſint niſi os pleni ſpuma.

Nec tamen diffitemur, quin eorum qui maleficio tacti, vel à dæmonibus vexantur miſerrima

rima ſit conditio, vt hoc ipſo omnium opem & auxilium implorare & exigere videantur. Neque leuiter aut temere de quopiam formanda ſiniſtra ſuſpicio, quaſi aliqui vltro miſeri eſſe velint, taliaque ficté agant & ſimulatè, quæ ſine magnis corporis moleſtijs, & proſtitutione verecundiæ fieri vix poſſunt, quò credantur maleficiati vel obſeſſi. Attamen ſi illos de infima plebe eiuſcemodi malis laborantes inſpiciamus proprius, vix ex decem inueniemus vnum, qui breuem aliquam corporis conflictationem non malit, quàm diutinam ſuſtinere famem, & inutili deteneri verecundia. Ex ijs vix vlli ſua quadra viuunt, omneſque ſpectant ad manus auxiliatrices & datiuas. Didici ſiquidem à D. Hieronymo, iam olim etiam fuiſſe inter monachos, qui ſciuerint dæmonum pugnantium contra ſe portenta confingere, vt apud imperitos & vulgi homines, miraculum ſui faciant, & ex inde lucra ſectentur. Et pro exemplo adducit quendã in Epiſt. in cuius morte deprehenſæ ſunt Crœſi opes & vrbis ſtipes, hac fraude corraſæ, in vſus pauperum quaſi congregatæ, ſed quæ reuera ſtirpi & poſteris derelinquebantur. Quæ quidem non omnia veluti è tripode, ſed problematice dicta ſunto, quantum Phyſicum Chriſtianum decet.

PROBLEMA II.

Quomodo refellendi necromantici, arioli, & id genus homines, qui ſe iactant futura poſſe præ-dicere.

INdicium & nota irrefragabilis, neminem aliquem vera prædicere poſſe ex cauſis occultis, quorum euentus ſoli Deo noti, ſi quis, quod necromantici & arioli ſolent, pro eo pecuniam vel munera accipiat. Quia, vt inquit Lactantius, fingendi & mentiendi opus eorum eſt, qui opes appetunt, lucra deſiderant: quæ res procul dubio à ſanctis Prophetis ſemper abfuit. Ita enim delegato ſibi officio functi ſunt, vt derelictis omnibus ad tutelam vitæ neceſſarijs, non modo non in futurum, ſed ne in diem quidem laborarent, contenti extemporali cibo quem Deus ſubminiſtraſſet: & hi non modo quæſtum nullum habuerunt, ſed etiam cruciatus & mortem. Igitur à quibus abeſt ſtudium lucri, abeſt etiam voluntas peccandi & fallendi. Hinc facile coniecturare eſt, quales illi diuinatores, qui nihil niſi acceptâ pecuniâ prædicunt, ſiue aſtrologi, ſiue necromantici fuerint. Quæ argumentatio ſolidum thauma patrare poteſt contra impoſtores, ne quis ab ijs fraudibus circumueniatur, ſpe prædictionum, quaſi illæ à Deo ſint, quæ tamen non niſi mune-

muneribus emuntur: & ideo ab eo eſſe non poſſunt, ſed potius à maledicto Simone, magorum patrono.

PROBLEMA III.

Ingratiſſimam ranarum coaxationem noctu compeſcere.

Solent nonnumquam Principes & viri magni primo Vere aliquantiſper ruſticari, quò & à curia & cura ſint remotiores. Sed tum vel maximè obſtrepere & moleſto clamore quietem nocturnam interturbant ranæ. Phyſica eas coërcendi ratio, ſilentioque multandi hæc eſt. Accende vnam vel plures lucernas ad ripam lacuum vel fluminis, prout amplitudo loci, incolarumque multitudo ſuggeret, & ſtatim omnes conticeſcent: quod lumen ignis, tamquam elementi ſibi infenſiſſimi, non ferant. Sunt enim natura frigidæ, tamque mediocris & temperati frigoris amantes, vt ſi ranam calente manu apprehenderis, & aliquamdiu contineas, moriatur. At calor ille diſtinctus à calore ignis, fateor. Adeo tamen ranarum natio elemento aquæ delectatur & viuit, vt ignem nulla ratione ferat, non magis quam ipſa aqua igni, ad ſui conſeruationem, amica numquam erit. Et hinc per lucernam admonita capitalem ſibi adeſſe hoſtem, metu ignis ſilet, & ſe quantum poteſt, continet.

PROBLEMA IV.

Deliquio animi laborantibus extempore ſuccurrere.

HAc occaſione illud dumtaxat annoto, quod nonnulli verborum quorundam, quæ auribus patientium deliquium animi inſuſurrant, putent ſe mira efficere: idque alios docent non ſine noxa & periculo ſuperſtitionis: cum tamen illa curatio, vel ſaltem morbi mitigatio non ſit niſi à cauſa phyſica & naturali. Sic enim aliqui affecti ſunt, vt facile patiantur ſyncopen ſiue defectũ animi: ex quo ſi collabantur, & auribus eorum inſuſurrentur articulatæ voces, penetrant ad animum, organaq; obſtructa reſerantur, & ita cor, fons vitæ, rurſus vires ſuas explicat. Eriguntur que remedio facili & naturali, ſi vellicetur digitus ſiniſtræ manus annularis, vel medius; aut ijs crocus vel aurum affricetur dum caleſcat, tum per eos vis quædam refocillatrix ad cor dimanat, propter miram croci & auri, quam cum corde humano habent ſympathiam. Et iſtud exorziſare volentibus aliquando vſui fuerit, vt maleficia à malignitate phyſica diſtinguant.

Eodem ſpectat, quod vilia quandoque de triuio mendicabula ſibi faciant ventrem, vel aliam corporis partem ita intumeſcere, vt magnæ alicuius ægritudinis ſuſpicionem ingerant,

idque

idqúe iterato medicamine tam diu, vt videri poſſint tacti à maligna manu, vt dicitur, aut aliquid interueniſſe diabolici ſpiritus. Cum tamen id faciant miſelli illi non niſi de pane lucrando. Vtuntur aqua diſtillationis, vel decoctionis crabronum, aut veſparum, quæ partem affricatã valde attollit, & intumeſcere facit, vt ſcribunt iſtius artis periti, ſine vllo doloris ſenſu. vt mirum non ſit eos hanc miſeriam vltroneè appetere. Sed huic impoſturæ larua mox detrahitur, ſi Theriacam ſumant, vel affectæ parti applicetur. Illi ſiquidem inſunt remedia opportuna, quæ vehiculo carnis viperinæ deferantur ad partem affectam, & ſi quid maligni humoris vel tumoris ſit diſpellant.

PROBLEMA V.

Oues & boues, quæ ſæpe videntur affectæ veneficio, curare remedio naturali.

CVm oues & iumenta ſæpe nõ comedunt, & ſpeciem incogniti morbi prę ſe ferunt, ſimpliciores ruſtici exorziſtas aduocant, putantes illa veneficio infecta. Et niſi Exorziſta fuerit experitus, & rerum phyſicarum bene peritus, ſæpiſſimè falletur, & inanem nauabit operam. Sunt enim impoſtores quidam & vere nebulones, qui quæſtus gratia, & vt ſimpliciores agricolas pecunijs emungant, ſe iactitant

omnes pecorum morbos poſſe curare: cum tamen ipſi non curent, ſed morbi cauſam quam poſuerunt, amoueant. Furtiue intrant ſtabulum, & beſtiarum linguas inungunt ſepo aliquo, quò ad omnem cibum nauſeent, priuſque moriantur quàm comedant, niſi linguæ earum aceto & ſale rurſus abluantur, & abſtergantur ab ingratiſſimo illo ſapore. Hac ratione curata vidi plura animalia, quæ aliàs videbantur veneficiata. Neque enim indicium vllum alicuius morbi, quicum communiter conflictantur, apparet, niſi quod non comedant, neque extra ſtabulum. Deinde in ouili defodiunt ſtercus lupinum, cuius fœtore oues non modo arcentur à cibo, ſed veluti œſtro maleficij percitæ, vltro citroque exagitantur, balant, & continue trepidant, non ſecus atque ſi lupus præſens adeſſet in ſtabulo. Tanta eſt lupi & ouium antipathia, & naturalis auerſio. Idem poſſe lupi caudam ſcribunt Albertus Magnus & Rhaſis. Habentque nebulones illi plures eiuſcemodi praxes, quibus pecora inficiunt: quibus amotione cauſæ occurreretur, ſi ſemper ſciretur.

Equos ferociſſimos iactant ſe cicurare poſſe inſuſurratis aliquot auribus illorum vocibus, quaſi mira præſtent; cum tamen non niſi exiguum & rotundum ſilicem, quem perforatum filo alligant, equis in aures immittant, illasque manu apprehenſas tenent. Et ita equi etiam ferociſ-

rociſſimi ſtant immoti, quamdiu lapillos illos in auribus ſenſerint. Vtpote quorum attactu omnis eorum ferocia opprimatur & ſubſidat.

PROBLEMA VI.

Habito grano frumenti inuenire omnia genera menſurarum.

GRanum frumenti eſt quarta pars digiti Geometrici: quadruplica igitur granum, & habebis menſuram digitalem. Deinde quadruplica digitum, exurget menſura palmi: quatuor palmi conſtituunt pedem: quinque pedes faciunt paſſum. mille paſſus milliare Italicum, à numero paſſuum ſic dictum: quatuor eiuſcemodi cōplectitur milliare Germanicum; quorum quindecim conſtituunt Gradum. Orbis terrarum in longitudine & latitudine diuiditur, & menſuratur 360. gradibus. Longitudinis initium deſumitur ab inſulis Fortunatis ſiue Canarijs Orientem verſus, ita vt primus verſus Occidentem ſit trecenteſimus ſexageſimus. Initium latitudinis ſtatuunt Æquatorem verſus vtrumque Polum. Et diuiditur latitudo in quatuor partes æquales nonaginta graduum. Primus gradus omnium quatuor eſt ſub Æquatore, nonageſimus ſub Polo. Et ita dato grano frumenti, facillimum eſt inuenire omne genus menſuræ quoad latitudinem; quæ à latitudi-

ne & profunditate non differt niſi ratione. Vide Budæum de Aſſe. Inde erui poſſunt eiuſcemodi thaumata, quæ illum incomparabilis arguant ingenij.

PROBLEMA VII.

Deprehendere æſtimationem auri.

QVantum v. g. vncia auri valeat, ſiue digna ſit ſecundùm opinionem hominum id intelligentium, deprehendes in igne & lapide Lydio. At hoc omnes ſciunt qui aliquid de re numaria ſciunt: fateor. Non æque tamen omnes ſciunt rationem phyſicam, cùr igne & lapide Lydio aurum exploretur. Aurum quia perfectiſſimum eſt omnium metallorum, nec in ſe quidpiam continet, quod excoqui ab igne poſſit, quia nobiliſſimus planetarum Sol ita coxit & perfecit, vt in igne quaſi viuat. Ideo ſic exploratur: Immittitur igni, & ſi inde eiuſdem grauitatis ſiue ponderis exeat, certum eſt eſſe purum & probatum. An vero lapis Lydius eiſdem ſit prænditus qualitatibus & viribus aliqui dubitant, ſed nimis leui de cauſa. Nulla ſiquidem ratione conueniunt in explorando aurum: quum ignis in ipſum agat aurum, è contrario aurum agat in lapidem, vt ita dicam, cum affricatum illi imprimat colorem, & indicaturam ſuæ præſtantiæ. An id fit, quia lapis ille natu-

natura ſuâ niger eſt vt vult Cardanus? minime, quia ſunt alia corpora miſta æquè aut amplius nigra; quæ tamen id præſtare non valent. Hoc occultæ lapidis qualitati tribuendum, quod colorem auri ſuſcipiat: quam vtrum hauſerit ab aqua, in ſolo enim Imolo fluuio reperitur, nihil certi audeo ſtatuere: neque tamen alia ratio modo occurrit, cui aſſentiri poſſim. Vbique caligo, vbiq; in his phyſicis tenebræ, quas ingenia etiam acutiſſima & illuminatiſſima vix diſcutiant.

PROBLEMA VIII.

Ex colore nubium præſagire pluuiam.

NIgredo nubis arguit eam denſam & craſſam eſſe, atque ex eo quaſi fecundam & grauidam ad mox pluendum. Albedo ſignum eſt ſubtilitatis & raritatis; & conſequenter eam eſſe ſterilem. Quoque nubes ſubtilior & rarior, eo eſt ſterilior: quo craſſior & denſior, eo fecundior. Vnde etiam vulgo non ſine cauſa rubedo matutina nubium ſtatuitur ſignum pluuiæ, vel venti; veſpertina, ſerenitatis. Quando enim veſperi circa occaſum nubes rubeſcunt, indicio eſt, multos craſſos & denſos halitus à Sole infra Horizontem noſtrum trahi: atque ita purgari aërem ſuperiorem, vt ſequatur ſerenitas. E contrario quando mane circa or-

tum nubes cubent: argumento ſunt, multos craſſos & denſos halitus à Sole oriente ſurſum ſupra Horizontem noſtrum attrahi; atque illis ita condenſatis generatum iri pluuiam vel ventum.

PROBLEMA IX.

Salem quam diutiſſime ſeruare nihil imminutum.

ID facili conſequeris negotio, ſi eo loco collices, vbi aër humidus illi non poſſit officere. Eadem eſt ratio conſeruandi ſaccharum ne liqueſcat. Vnde plures ſalem & ſaccharum hyeme, cum aër ſit humidiſſimus, & diu durat, conſeruant apud lucentem aſſiduè fornacem, vel in camino. Cauſa phyſica: quia ſal concreuit à cauſa ſicca, ideoque in ſicco conſeruatur, nec liqueſcit, niſi à qualitate contraria, id eſt humiditate. Deinde quia ſimilia ſimilibus conſeruantur: contraria vero contrarijs corrumpuntur. Cum igitur ſal ſit corpus ſua natura ſiccum, ſequitur illum ab aëre ſicco conſeruari; ab humido diſſolui. Sic glacies, quod eſt corpus frigidum, conſeruatur in aëre frigido, diſſoluitur in calido.

Occaſione ſalis, paucis hic proponam quod anno 1647. accidit. Tum propter aſſiduas ſub finem autumni præcedentis pluuias, & topidum

dum aërem, plurimæ carnes ſale conditæ computruerunt. Vulgus Colonienſium cauſam in ſalem retulit, quaſi ille fuerit corruptus, vtpote ſcatens vermibus. Meræ nugæ: ſal tum fuit ſimilis, & eiuſdem ſpeciei quibus ſuperioribus annis, nec putreſcere ob igneam qualitatem & ſiccitatem potuit, non magis quam ipſe ignis. Initium enim putrefactionis eſt ab humore, & calore externo & aduentitio. Quod ſi ſiccum ſalis corpus inuadat humor, reſoluet in aquam marinam, vnde concreuit, non putrefaciet: & ita ſal, vt ſic non putreſcet; cum illi proprium ſit humorem exſiccare, & ratione hac conſeruare à putredine. Calor vero ſalem in ſiccitate ſua magis conſeruat: Ergo tepidior aura ſalem corrumpere non potuit. Niſi fuiſſet maior illo interno quam ſal habet & conſeruat. Deprehenſum proinde vermes illos aliunde, vel ex ligno, vel caſeis Hollandicis, quibus naues vna cum ſale onuſtæ fuerant, incidiſſe caſualiter in ſalem. Et hinc ille rudis populi clamor. Tam impoſſibile ſiquidẽ naturaliter naſci è ſale vermes, quam ex igne, qui ad putrefactionem nullam diſpoſitionem habet ob rationes iam dictas. At quia tum temporis aër erat humidiſſimus, ſalem carnibus aſperſum reſoluit forte in aquam citius quam debuit: hinc ſiccitate ſua carnibus adhuc humentibus ſuccurrere nõ potuit, vt debite præſeruarentur. Deinde magna

iſtius

iſtius putrefactionis fuit, quorundam auaritia, qui ſali plus æquo pepercerunt, augurantes tum futurum quod alijs annis, vt ante natalem Domini gelaret; ob quod non tam multū ad condiendum carnes ſalis requiritur, quod gelida aura exſiccet, carnesque conſeruet. Tertia ratio fuit à defectu fumi, quod ob aëris temperiem minor, & rariùs, vbique ſtrueretur ignis. Alioquin, qui debitam ſalis proportionem adhibuerant humectantemq; aërem excluſerant, ſolitoque more infumauerant ſuas carnes, nullum experti ſunt damnum. Nonnulli exiſtimabant defectum in ipſis carnibus: quod nulla ratione aſſeri poteſt. Quandoquidem nullus in pecoribus defectus vel deprehenſus ſit morbus aut contagio. Sanorum & integrorum pecorum carnes ſanæ quoque & integræ ſunt. Alioquin eſſent & non eſſent: quod inuoluit contradictionem. conſideranti res patet. Iſthæc tumultuarie, quaſi in naufragio, coniecimus in chartam. Fuerit forſitan, vt ingenioſi magis inquiſierint, minoreque quam ego moleſtia abundent ad inueſtigandum. Hactenus tamen nihil vidimus hac de re in publicum prodijſſe; quamuis interfuerim coronæ colloquentium, etiam Magnatū, qui aliquid ſolidi à Phyſicis iure ſuo videbātur exigere; quo multorum obturarentur ora, qui ex hoc præſagiebant futuram breui peſtem. ad quam inordi-

natus

natus timor non modice viam ſternit. At pluribus fateor magis conducit ad opinionem reconditæ doctrinæ ſilentium, quam quidpiam ante factum adſtruendi audacia.

PROBLEMA X.

Vim Magneticam obtundere.

CRedo eruditos inter eſſe in confeſſo, quoad Magnetem & ferrum: vim illam attractiuam non ineſſe ferro ſed Magneti, idcirco quod Magnes qualitatem ſuam ferro communicet, non vice verſa. Quid enim illud Magneti communicat? Contra Magnes tribuit ferro, vt cuſpis cultri affricatus acus attrahat, & acus nautica tacta in alterutra extremitate obuertat ſe ſemper ad Septemtrionem. Hæc virtus Magneti ſiue indita ſit à montibus vnde exciſus, ſiue à conſtellatione Septemtrionali, ſiue ab vtriſque, modo non inquirimus. Vide ſi vacat Exercitationes Scaligeri. Igitur vt hanc vim Magneticam obtundas, ſiue ſtupefacias, ita vt nec Magnes ipſe ferrum trahat, nec cuſpis acus nauticæ vertat ſe & conſiſtat ad Septemtrionem, appone allium. Et hæc grandis quæſtio, vnde allio iſta virtus, & qua ratione eam exerat. Virtus ab eadem natura, quæ Magneti tam benefica: qua vero ratione id faciat non tam facile diſcernere. Varia occurrerunt, in nullo ac-

lo acquieſcere potui niſi in allij odore ; quod ille vim Magneticam obtundat. Ratio, quia allium gradum caloris, locum natiuitatis, influxum à ſideribus, pluraque alia communia habet cum ceteris ſiue plantis, ſiue lapidibus: odore vero præditum eſt ſingulari, quo aërem inficit; isque infectus vires Magnetis obtundit. Plus vltra non inquiro, agnoſcoq; me paratiſſimum diſcere tamquam minimum de grege diſcipulum, ſi quis potiora paucis attulerit. In ſingulas enim, & præcipue cauſas ſemper primas inquirere, impoſſibile ijs, qui, vt Scaliger ait, in luce rerum tenui caligant, in mediocri cæcutiunt, in maiore cęci ſunt, in maxima inſaniunt. Interim non poſſum quin vim illam Magneticam vel maxime deprædicem, qua ferrum trahit; vnaque deſignat viam Oceano in magno. Ecquid hac virtute præſtantius? vtiliusuè ab vllo lapide, planta, vel metallo humano generi obuenire potuit? ſed dicant alij pluribus, quãti ſit nos habere vſum acus nauticæ. non id modo ad propoſitum.

PROBLEMA XI.

Plumbum in ramuſculos diffundere nullo adhibito inſtrumento.

ILlud liquefacias, & ſuper marmore effundito, ſpargetur in ramos. Ratio duplex: Prior ab im-

ab impetu atque impulſu partium. Cum enim partes confertæ propelli nequeant, diſſipantur. Altera ratio à frigore lapidis. Tunc enim in pugna illa frigidi & calidi fit impreſſio & repreſſio: impetus,& cunctatio: atque idcirco motus varietas. Ergo & rei motæ diſſimilitudo. Non abſimilis in glacie cauſa: in qua viſuntur gladioli, ſerræ, ſariſſæ, & multa eiuſcemodi, dum gelu nequit omnes aquæ partes ſimul occupare.

PROBLEMA XII.

Quomodo parentes filias ſuas poſſint reddere doctiores & meliores, ſi quædam quod fit magnis ſæpe impenſis, non doceantur.

MVltæ è puellis educantur vt fiant Monachæ, & Deo in virginitate deſeruiant: plures in ſpem matrimonij. Quæritur, Vtrum prioris deputationis illis expediat, vt diſcant Muſicam, pulſare organa, aliaque vaſa muſica? Reſponſio facilis, Multo præſtare illa vt ignorent, quam tantis diſcant impendijs, & ſæpe cũ periculo, ſi non perdendæ pudicitiæ, imminuendæ verecundiæ. Mirum quantum illa cum docente familiaritas addat noxiæ ſecuritatis: præcipue vbi tangendæ & diſponendæ manus ad canendum. Ingerit ſe tum prauus ille & paruulus Cupido; nec tam facile expellitur, quam nequi-

nequiter ſe ingeſſit. Hinc non vnam nouimus mox mutaſſe animum, & factas ex diſcipulis vxores, in opprobrium familiæ: muſiciq; concentus ſuauitatem verſam in luctum parentum & conſanguineorum. Si cantus diſcendus, diſcatur à virginibus: quæ licet non adeo doctæ, nec docere faciles, ſatis ſciunt quo Deo placere poſſint. Quinam enim iſti, qui vt plurimum docent Muſicam? homines infimæ conditionis, viles, infelicis ingenij & intemperantis, qui nec finiendi, nec incipiendi rationem teneant. Sicut de Archabio tibicine legitur, quod pluris conducendus erat vt deſineret, quam vt caneret. iuxta illud Horatij:

Omnibus hoc vitium eſt cantoribus, inter amicos
Vt numquam inducant animum cantare rogati,
Iniuſſi numquam deſiſtant.

Quique cum egeſtate conflictantes nihil non audeant.

Muſicus eſuriens in cœlum iuſſeris, ibit.

Egeſtas enim & fames ſæpe eos motibus facit improbis & inhoneſtis. Certe vir grauis, modeſtus, temperans, fortis, Muſicum numquam profeſſus eſt, vtpote lenociniorum clientelam. Græci vniuerſim Muſicos, communi vocabulo Liberi patris artifices, ſiue vt Ariſtoteles, Dionyſiacos technitas, id eſt artifices Bacchanales appel-

appellarunt. Quid autem probitati & pudicitiæ cum Baccho? Antiſtines ille ſapiens cum audiſſet Iſmeniam habere quendam optimum tibicinem: Homo nequam eſt, inquit, non enim ſi probus foret, tibicen eſſet. Non quod de omnibus omnino muſicis male ſentiendum; inueniuntur probi & temperantes: ſed quid ſæpius accidat, præmonemus.

Si vero de puellis matrimonio deſtinatis agamus, idem, multoque maius erit periculum; iam non tantum à Muſicis, ſed ab ipſis puellis;

Nam ruit in vetitum damni ſecura libido.

At Platonici tradunt, Muſicam quandoque relaxandi animi gratia fieri: quem teneræ puellæ non ſemper intenſum geſtare poſſunt; ſed illum oblectare exercitijs honeſtis, qualis eſt Muſica. Deinde quia otio plerumque abundant, præſtat illius bonam partem expendere in oblectatione honeſtiſſimæ artis. Et, ſi Ariſtoteles ingenuis viris, dum pro maiore vitæ parte in otio degunt, concedat Muſicam, litteras, gymnica, & picturam: cur mulieribus eiuſdem cõditionis eadem non ſint permittenda, cum otio fruantur laudabilius? Ad hæc puella placere debet, vt deligatur: placere autem quidam non poſſe putant, niſi duplici ſit prædita venuſtate, corporis & animi. ideoque in illa requiri ſcientiam Muſicę. Cum enim venuſtas animi in morum concinnitate conſiſtat; corporis in for-

mæ gratia. vt animum viri ad ſe pertrahat, illumque habeat coniugem. At amor coniugalis nihil fere aliud eſt, quam affectus ſecundum legem, reſidens in appetitu ſenſitiuo, quo animus inclinatur, allicitur, rapiturque ad pulchri fruitionem ſenſilem per omnes quinque ſenſus, vt in pulchro, & ex pulchro generetur in ſimilitudinem naturæ, ad ſpeciei conſeruationem. Quomodo verò puella in omnes viri ſenſus illiuſq; animum illabi poteſt ſi Muſicam ignorauerit? Loquetur quidem, & miſcebit ſermones: ſed multo efficacius virum rapere poteſt (ſed leuem) lenocinio artis, & grata vocis inflexione. Attamen quia Peripatetici Muſicam vituperant, quod illius & pudicitiæ perrara ſit concordia: multo eſt præſtabilius puellas Muſicam non diſcere. Quam vt coniugatæ mox dediſcant, neceſſe ſit: dum editæ proles aliud fletu ſuo genus cantilenæ exordiuntur, ad quod vere matres non poſſunt quin occinant. Sermo animum detegit & reuelat; cantus ſimulatione obuoluit. Muſici veluti Sirenes animos audientium faſcinant & peruertunt. Hinc, teſte Diodoro, Ægyptij Muſicam adoleſcentibus vetabant, tamquam quæ virorum animos effeminaret. Et Ephorus eam non niſi ad illudendos & fallendos inuentam tradidit. Quotquot celebres eſtiterunt meretrices, à ſuauitate vocis, & arte Muſicæ commendatæ ſunt. Si

puella

puella abundet otio, etiam generoſa & nobilis, ſerat arborem quæ futuro ſeculo proſit: diſcat quæ vſu poſtea ſint in familia, v. g. nere, ſuere, texere, acu pingere; quæque illam non deſerant, ſi grauior quandoque incumbat tempeſtas, auitisque parentum poſſeſſionibus eijciat. Neſcio tamen quò vſque quorundam parentū inſanus procedat amor erga filias, vt horum omnium quaſi obliti oues ſuas lupis cōmittant; vanamque ſcientiæ Muſicæ gloriam præferant optimæ puellarum doti, verecundiæ. Doctiores & meliores habebitis ſi Muſicam non didicerint.

PROBLEMA XIII.

Quomodo diſpellendus ſit metus annorum Biſſextilis, & Climacterici.

METus eſt expectatio futuri mali: quod dum quis aſſidua cogitatione repræſentat, multum animo affligitur. Vt igitur metum impendentis anni Biſſextilis diſpellas & ratione vincas, certò cum animo tuo ſtatuas, annum nihil in ſe continere mali, calamitatis, morborum, vel belli eo quod Biſſextilis ſiue intercalaris ſit, cum id fiat ex inſtituto hominum, quibus placuit ita appellare quartum quemlibet annum, quia tunc dies vnus intercalatur, qui eſt ſextus calendas Martij. Quod aliquis ex ho-

minum inſtituto vocetur Lupus, in honorem S. Lupi, non ideo ſtatuendum quaſi ille futurus ſit Lupinis moribus & deſtructor ouilis. Sed de anno intercalari paulo accuratius, vt hunc timidioribus ſcrupum euellamus. Annus ſolaris exacte congruit cum integra Solis per Zodiacum, ſiue duodecim ſigna reuolutione; cõſtatque diebus trecentis ſexaginta quinque, horis quinque, ſcrupulis quadraginta nouem. quæ quater ſumpta, quatuor annorũ ſpatio faciunt viginti tres horas, & ſexdecim ſcrupula. Quod cum Iulius Cæſar accurate obſeruaſſet, correxit vetus Calendariũ, inſtituitq; vt ſingulis quartis annis dies vnus intercalaret, idque menſe breuiſſimo nempe Februario, tuncque ille haberet dies viginti nouem. Et vocatus eſt ab illo tempore computus, & annus Iulianus, vt diſtingueretur à Solari, qui Iuliano omnimode non reſpondet. Is enim pro illis 23. horis & 16. ſcrupulis quarto quoque annos 24. horas integras numerat, cùm deſint 44, ſcrupula, quibus annus Iulianus Solarem ſuperat. Deinde octo anni Iuliani ſuperant octo annos Solares vna hora & ſcrupulis 28. ſedecim anni Iuliani excedunt totidem Solares duabus horis & 16. ſcrup. triginta duo anni Iuliani ſuperant totidem ſolares, horis quinque & ſcrupulis 52. Donec tandem centum triginta duo anni Iuliani ſuperant totidem Solares integro die naturali &

decem

decem inſuper ſcrupulis. Et 1604. anni Iuliani ſuperant totidem Solares diebus naturalibus quatuordecim, tribus horis, & 18. ſcrupulis. Proindeque ſecundum noſtrum vetus Calendarium, namque anno Iuliano in computu vtimur, inde vſque ab ætate Iulij Cæſaris, vſque ad hoc tempus, æquinoctium & ſolſtitia multum à ſede ſua naturali ſecundùm noſtrum cōputum ceſſerunt & anticiparunt. Vnde, vt tempora æquinoctiorum & ſolſtitiorum locis ſuis & ſedibus in Calendario reſtituerentur, neceſſaria fuit anni Iuliani correctio, quam auſpicatus eſt Gregorius XIII. Pontifex Max. dum anno ſuperioris ſæculi 82. ex menſe Octobri ſuſtulit dies decem, totidem ſemper omitti iuſſit intra ſpatium 403. annorū Biſſextorum. Dixi auſpicatus eſt, quia correctio illa necdum omnibus partibus & numeris conſtat.

Concludo igitur, quod quartus quiſque annus vocetur intercalaris, Biſſextus vel Biſſextilis, ceteri anni communes, id Calendarij noſtri auctori Iulio ita placuit, adeo ille nullius mali omen habet.

Quoad annos Climactericos, id eſt ſcalares ſiue gradarios, plures credunt eos aut mortem, aut morbum, aut aliquod inſigne infortunium ſecum aduehere. Sunt autem ſeptimus & nonus vitæ cuiuſque hominis. Vnde etiam hebdomatici & enneatici vocantur, & in illorum

numero ſunt 7. 9.14.21.27.28.35.36. 42.45.54, 56.63.70.72. &c. Et inter hos infeſtiſſimus putatur 63. vt qui à ſeptem & nouem mutuo multiplicatis conſtituitur, & ab vtroque exactè diuidatur.

Atque hæc ſententia Aſtronomorum confirmari ſolet, primo communi experientia, deinde auctoritate multorum doctorum & magnorum virorum, qui annis illis multum tribuerunt, præcipue 63. Tertio auctoritate medicorum, qui dies criticos morborum ſtatuunt 7. & 9. Poſtremo etſi certæ cauſæ, vt Seneca ait, & rationes tradi non poſſunt, cur ſeptimus vel nonus quiſque annus mutationem aliquam ſenſilem hominibus importet; tamen propterea, obſeruatio annorum illorum non videtur eſſe vana, ſuperſtitioſa, & inutilis, præſertim cum à communi experientia comprobetur. Multarum enim rerum, quæ naturaliter fiunt, cauſæ obſcuræ & abditæ, ita vt ſciamus quidem quod fiant, ſed vnde & qua ratione inueſtigare non poſſumus. Vt igitur hunc metum non panicum vincas, cogita nos non modo annis illis climactericis, ſed omnino omnibus; imo diebus & momentis, calamitatibus & morti obnoxios; cuique mortalium à Deo præfixum terminum quem præterire non poterit. Sicque aſſidue viuamus in timore Dei, vt quacunque hora mors nos inuaſerit, non inueniat imparatos;

tos; neque nobis ipſi mortem malaque acceſſamus aut acceleremus.

PROBLEMA XIV.

Aërem æſtate calidum frigefacere.

ID aliquantum plures nouerint, quam cauſam afferre poſſint, vnde fiat. Omnes enim nouerunt æſtate ſibi flabello aliquo ventum facere, & faciei circumfuſum aërem infrigedare. Sed quæritur, vnde id accidat? Reſpondetur, motu æſtiuum aërem ideo refrigeſcere, quia illo calor nimius, quem Sol infudit aëri, diſcutitur & diſſipatur: diſſipatio autem prouenit ab aëris rarefactione, vt in ſe intenſiorem calorem retinere iam amplius non poſſit. Dum enim diſturbatur, rarefit aër; & ita multæ calidæ partes ab eo auertuntur, ideoque frigeſcit. Obſerua tamen qui infrigedato aëri mox ſuccedit, multo quam prius calidiorem, quia aliæ partes partibus iſtis diſſitis circumſtantes aſſiduo illo flabelli motu condenſantur, multæque aëris partes in vnum coguntur, multusque idcirco ineſt calor, quia illæ caloris fomentum & fundamentum. Vnde eodem motu aërem ſecundùm alias partes infrigedas & calefacis. At mirum, qua de cauſa digito ſentias ex tubo egredientem aërem frigidum, etiamſi halitu calidiſſimo inſpiraueris: quia nimirum impetu illo

aër rareſit, caloremque amittit priuſquam ad os tubi peruenerit, & ſe effundat.

PROBLEMA XV.

Efficere vt quis labia tamquam ad loquendum moueat, & tamen non loquatur.

Videmus ſæpe homines, præcipue iuuenes, dum illis quidpiam dicitur quod lubenter audiunt, vel quo indignãtur, & ad quod animo reſpondent, verbis non audent, ita mouere labia tamquam ſi loquantur, & tamẽ nullam vocem edunt. Cuius eadem ratio, cur milites ſonitu tubæ & tympanorum animentur ad pugnam. Quia ſpiritus qui in corde agitant, tremulum & ſubſultantem recipiunt in pectus aërem; atque cum affini ſuo vnum fiunt. Ita ſequuntur ſpiritus reliqui in ceteris corporis partibus poſiti; mouentque muſculos aut cohibent, prout numerorum lex vel crebrèſcit incitationibus, vel tenore compoſito quieſcit, aut lentitudine quietem imitatur. Quemadmodum in fidibus tactâ vnâ chordâ, altera æque tenſa contremiſcit; ita ſpiritus qui in corde inſunt, citantur ad exterioris ſoni motum; tanto facilius quam chorda, quanto maior eſt vnio. Quocirca etiam depreſſus ac marcidus attollitur animus, facta extimi aëris acceſſione: elatus vero cohibetur, & quaſi de ſuggeſtu

ſuo

ſuo detrahitur, contraria ratione. Hinc ſi quis alteri ſubmiſſe loquatur, ille inaduertenter labia mouet, tamquam cum loquente loquatur: & plerumque canentibus etiam aliud agentes occinimus. Si quis clamet, clamandi libido inceſſat maiorem hominum partem, quæ pudore, vel vi rationis non continetur. Ideoque concione & prælio, ſi vnus clamorem tollat; idem fecerit illico tota concio, aut acies.

PROBLEMA XVI.

Mures, glires, cimices, culices, formicas & id genus alia animalia abigere.

FVmus cum ſtillicidio & proterua femina in prouerbio eſt: vt in quacumque domo horum trium aliquod prædominatur vir commorari non poſſit. Vt igitur huiuſcemodi quoque animalia abigas, illa acrimonia fumi torque & excoria: vix enim quæ ſpiritum innatum habent fumi acrimoniam ferre poſſunt. Id vt tanto certius fiat, ex ijs animalculis combure ſuper prunas & fumiga, quæ expulſa & abacta velis, non quod ſibi metuant ne ſimili incendio concrementur, nugæ: ſed quia quod à ſua natura diſtractum, iam factum eſt aliud; impugnat id quod adhuc naturale eſt. Et ita mortuæ formicæ, vel cimices, vel mures ſi comburantur & fumigent, alia eiuſdem ſpe-

 ciei

eiei viuentia animalcula fugant, quia contra agunt actiuitate naturali.

PROBLEMA XVII.

Quò minore labore plurima diſcas.

FAc habeas à ſtudijs hominem vndicunque doctiſſimumm, à quo audire poſſis quod retinere velis, diſcere quæ neſcias, de quibus dubitas interrogare. quia minus laboris audiendo capitur, quã legendo & ſtudendo: quod vox magis afficiat; lectio vero muta ſit: & ad languorem dat pertinacius continuata. Audita magis imprimuntur per ſenſum diſciplinæ, cuius miniſtræ ſunt aures. Deinde quia auditor eſt quaſi patiens, narrator dum vocem tollit, vel ſubmittit, quaſi agit, & laborem nobiſcum partitur; ideoque auditæ ſententiæ citius atque altius ſubeunt animum. In legendo tametſi liber eſt agens: tamen legendo in noſmetipſos agimus, quare & plus affert laboris. Ideo melius & fidelius hærent memoriæ, quæ auditione accepimus, quam quæ lectionis beneficio quæſita ſunt. Eſt etiam ſocietas in narratione; in lectione ſolitudo. At homo eſt animal ſociale, ideoque conformius diſcit ſuæ naturæ, ſi in ſocietate diſcat; quod multo præſtat, quam ſi agat quaſi contra naturæ exigentiam. In narratione eſt ius pudoris ſi non attendatur: vbi

vero

vero ſolus legis, in remiſſione animi ſecuritas eſt caſtigationis. Apud amicum loquentem libertas rogandi, diſquirendi: vnde conſequamur intelligendi commoditates. Vt minime mirum ſit, Principes & Magnates liberis ſuis doctiſſimos quoſque accerſere (quod vtinam! omnes faciant) quò minimâ moleſtiâ ſibi præſidia doctrinæ comparare poſſint. Sed quotuſquiſque hodie non eſt magis ſollicitus de velociſſimis & optimis equis ac canibus ad venandum, quam de viris idoneis & eruditis ad docendum. Quaſi pluris ſit bonos & doctos habere canes & equos, quam filios.

PROBLEMA XVIII.

Efficere vt quis naturali deſiderio docendi ſcribendiq́ue teneatur, non ex ambitione, vel auaritia.

POſteaquam primæuus humani generis ſator vetita delibauit ex arbore, Deoq; ſimilis per ſuperbiam eſſe concupiuit, duo præcipue vitia, ambitio & propriæ rei ſtudium omnem retro poſteritatem adeo peſtilenti contagione infecerunt, vt vnius ſuperni Numinis cenſendus ſit fauor, ſi quis ijs non naſcatur affinis, aut tandem euadat: Non videntur tamen ex æquo ſtatuere, qui viros præclarè doctos, ſcribendoque de Republica bene merentes, aut ac-

com-

commodantes operam ſuam Principibus hiſce vitijs vel maximè obnoxios ſtatuunt: quaſi auræ populari velificantes ambitione tangantur, aut rem ſuam faciendi, opesque congerendi nimio teneantur ſtudio. Quum nihil ſit euidentius, quam pleroſque eorum non alia de cauſa animum ad ſcribendum appellere, quam publicæ vtilitatis atque obeundi officium boni ciuis, qui hac lege humanitatis ſe teneri ſentit. Diuitias adeo non venantur, aut inueniunt vt perſuaſiſſimum habeant, non de nihilo eſſe fabulam, qua Muſæ finguntur Virgines, ſed indotatæ vt ſibi cauere poſſint ad rauim citra ſpem mercedis. At ſi propius inſpicere voluerimus, ecquid doctiorum ſit Enthuſiaſmus, id eſt animus ad ſcribendum inſeruiſactus diuinitus, facili deprehendemus negotio eum non eſſe ab ambitione aut vili auaritia; ſed originem ſuam imputare nobiliſſimo affectuum amori, eique legitimo & honeſto. Eſt enim in vtraque animæ parte, tum ea quæ ad cognitionem ſpectat, tum ea qua regitur corpus, amor generandi innatus ad vitam perpetuo conſeruandam. Amor qui in hac parte eſt ad corpus regendum accõmodata, ſtatim ab initio nos impellat ad cibum potumque ſumendum, vt his alimentis generentur humores: quibus quod à corpore iugiter profluit reſumatur. qua generatione nutritur corpus & creſcit, adulto corpore ſemen ipſum

ipſum laceſſit, & procreandæ prolis libidinem prouocat, vt quod in ſe ipſo ſemper manere non poteſt, reſeruatum ſibi in prole perſimili maneat ſempiternum. Haud ſecus amor generationis parti animæ cognoſcenti tributus, efficit vt anima veritatem, alimoniam propriam, concupiſcat, per quam ſuo modo nutriatur, & creſcat: ac ſi quid per obliuionem animo excidit aut torpet propter deſidiam & incuriam, recordationis & meditationis ſtudio quaſi regenerat, reuocatque in mentem quod per obliuionem perierat, vel torpuerat per ignauiam. Adultum vero iam animum flagrantiſſima docendi atque ſcribendi ſtimulat cupiditate, vt ſcientia vel in ſcriptis vel in diſcipulorum animis generata, præceptoris intelligentia & veritas inter homines æterna permaneat. (Et quis eruditorum negabit ſe non poſſe huic affectui non parere?) atque ita amoris beneficio & impulſu cuiuſque hominis tam corpus quam anima in rebus humanis poſt mortem ſemper ſupereſſe poſſe vt videatur. Amor quoq; ille duplex vtrobique pulchra conſectatur. Nempe qui corpus regit atque gubernat, corpus proprium ex epulis quam delicatiſſimis, iucundiſſimis, & pulcherrimis alere concupiſcit & prolem formoſam cum pulchra generare: quique ad animam pertinet, is ad honeſtiſſimas & maximè liberales facultates impellit, quæq; plures

in ſe veritates contineant: aut quibus vbi fuerit paſtus, & probe ſaginatus in virilem ætatem adoleuerit, mox fetus & fecundus ſcientiam ſuæ quam ſimillimam in acutis & perſpicacibus, ideoque pulchris diſcipulorum animis generare deſiderat, aut eam ornato elegantique ſtylo in libris expreſſam relinquere. Atqui illa vera & adæquata enthuſiaſmi eruditorum ratio, & exordium. non quo ambitus rei peragi poſſint, aut inani lucri ſpe deludantur. Quæ quidem in purgationem nobiliorum ingeniorum dicta, ſi Lectori meo non omnino improbabuntur, erit vnde ijs gratuler, & me minimum de grege diſcipulum profiteri audeam, conari eſſe de eorum numero qui & proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Et vt in aſſumpta perſiſtam ſimilitudine, viris generoſis ingenuæ cum naſcuntur proles, ijs bene ominata Principum indunt nomina cum baptiſmate, vt ætate grandiores ad heroicarum virtutum æmulationem, nominisque claritatem factis illuſtribus exprimendam tanto efficacius excitentur: habeantq; in rebus arctis perfugium quo contra nouercantis fortunæ impetus deliteſcant. Ita eruditi libris ſuis, veluti liberis, nomina Regum, Principum, Magnatum adſcribunt vt quod à ſe non obtinent, decus mutuentur à patrino ſiue patrono, cuius præſidio tutiores perſtent contra maligna obtrectantium iacula, inuidiamque

ſuſtinere,aut potius audeant contemnere. neque enim

Principibus placuiſſe viris hæc infima laus eſt.
Interim ſi quid rei lautioris benigna ſorte obtigerit, id omne clementiſſimis Dominis ex aſſe acceptum ferunt: Qui vt ſidera cælo, terra emicant & lucent cum influxu in hæc vix humi repentia capita. Ad propoſitum vero problema vt reſpondeamus,efficere quis poteſt, vt vel ipſe,vel alius naturali docendi,ſcribendiqúe teneatur deſiderio cui hoc beneficium impartiri volueris. Selige tibi adoleſcentem bonæ indolis,& qui animo munificus ſit & generoſus, ingenio capaci & diſciplinarum auido: effice vt encyclopædiam ſtudiorum feliciter abſoluat, & mox legendo,ſcribendoqúe ſe aſſiduè exerceat,impoſſibile quin deſiderium illud eum inuadat, pluri maque quæ didicerit, aut voce aut ſtylo depromere velit,quod ad id nõ minus ſit fecundus,quam pubertatem egreſſi,dummodo ſano & bene conſtituto ſint corpore, natura inſtigantur ad prolificandum.

PROBLEMA XIX.

De terræmotu anni 1640. Vtrum ille quid portendat?

IS cum accidit 4. Martij. horam tertiam inter & quartã matutinam,habitabam Ipris in Flan-

Flandria, octo circiter ab oceano leucis, quumque planiſſime à ſomno eſſem experrectus, animaduerti ſtatim reuera eſſe terræmotum, atque obſeruaui illum ferri ab Occidente in Orientem: vnde poſtea Coloniæ intellexi paulo ibi factum tardius, quam nobis in extremis Flandriæ ad Oceanum partibus acciderat. Durauit mihi per tres pulſus arteriæ, quam indice dextro in ſiniſtro explorabam brachio. Cumque eruditos inter vt fit ſtatim à facto terræmotu multa quærerentur, & diſceptarentur, rogauit me quiſpiam, vt & ipſe ſymbolam deponerem, proferremque aliquid in medium. Reſpondi id mihi obſeruatum quod modo retuli, nec velle me indulgere coniecturis, quid ille portendat. Eò enim omnes anhelabant, vt quis vellet fatidici perſonam aſſumere. Subiunxi mihi videri terræmotum non modo tonitruo ſimilem, quod plerumque nihil portendit, ſed eſt à cauſa naturali, & denſatas nubes violenter perrumpit; modo in Orientem, modo in Occidentem, modo aliorſum ſe diffundit: ſed idem omnino eſſe terræmotum cum tonitru; hoc in aëre, iſtum in terra fieri ſolitum. In confirmationem diſcurſus mei, attuli teſtimonium ex Pſal. 28. vbi pluries vox Dei ponitur pro tonitruo. Quod in primis me docuit S. Auguſtinus lib. 7. locutionum, ad illũ locum, *Et deſinent voces & grando.* Notandum eſt, inquit,

quit, Scripturam *voces* ſolere appellare tonitrua. quas voces Dei etiam Pharao ſuperius appellauit dicens, Orate pro me ad Dominum, vt deſinant fieri voces Dei. Exodi 20.v.18. populus videbat voces Dei. Quid? videbat voces quæ non niſi audiri poſſunt? ſed quia voces Dei tonitrua, quæ Moſe exiſtente in monte totis caſtris audiebantur & videbantur, debemus interpretari, nulla eſt difficultas, quin populus voces Dei viderit. Neque modo vox Dei pro tonitru, ſed & pro terræmotu eodem Pſalmo accipitur. Videamus; *Vox Domini confringentis Cedros*, id eſt tonitru cum fulgure, quo robuſtiſſimæ quatiuntur & proſternuntur arbores. *Vox Domini præparantis ceruos*, id eſt, tonitru facit parturire ceruas, & nudat ſyluas. At verſu 6. Vox Domini expreſſe terræmotum ſignificat, *Et comminuet eas tamquam vitulum Libani, & dilectus tamquam filius vnicornium.* Hebraice habetur, Vox Domini ſubſilire facit vituli in morem Libanũ & Sarium montes, quod non cæleſti, ſed terreſtri fit tonitru. Vt non ambigam quin hæc tonitrua anamphis betetos accipiantur. Plinius aſſerit, eſt enim aliud nihil in terra tremor, quã in nube tonitruum. Et Tribellius Pollio ait, Auditum tonitruum terra mugiente, non Ioue tonante: quo motu multæ fabricæ ſunt deuoratæ, multi terrore mortui.

D PRO-

Pythagoras, teſte Æliano *lib. 4. hiſtor. var.* dicebat terræmotûs nullam aliam cauſam eſſe vel originem, quam conuentum mortuorum. Lepidum commentum, niſi explicetur phyſicè.

PROBLEMA XX.

Prædicere de pueris, quales poſtea futuri ſint.

IStud hac ratione poteris, ſi pueros in tenera ætate accuratius obſerues, inque mores eorum inquiras & genium: quibus rebus & exercitijs firmius adhæreſcant, & impenſius delectentur, præcipue vbi aliquod iudicij lumen ſe prodit, poſſuntqúe ipſi aliqualiter decernere. Seruat enim natura eundem plerumque tenorem, quodque illi in pueritia placuerit, diſplicueritué, etiam cum quis adoleuerit conſectatur, aut reſpuit.

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ,

inquit Poëta quiſpiam, pręcipue ſi praua parentum educatio, vel magiſtrorum inſtructio non ſiniſtrorſum illam inflexerit, præſtantiamque eius deprauauerit. Vnde qui puerulos iam grandiuſculos delectari viderint ornandis domi altaribus, libriſué peruoluendis, augurantur eos fore Eccleſiaſticos aut doctos: ſi ludicris delectentur prœlijs & velitationibus, putantur futuri milites, &c. Difficillimum tamen eſt de virtute & præſtantia coniecturam façere; ſecus de

impro-

improbitate & vitijs: quod natura, veluti ignis lignis virentibus, ſuffocata virore adoleſcentiæ tum ſe explicare non poſſit; inclinatio verò ad vitia ſe facile prodat, nec pueri diſſimulare poſſint. Et hoc pacto Phyſici ſæpius prædicunt quales pueri futuri ſint cùm adoleuerint. Hanc coniecturandi formam habemus à Magis Perſicis, qui prædixerunt Ochi regis ſui ſæuitiam aduerſus ſubditos, & ingenium cædis auidum. Nam cum Artaxerxe patre vita defuncto, Perſarum regnum Ochus capeſſeret, Magi cuidam ex eunuchis præceperunt, vt poſitâ menſâ animum aduerterent, quibus rebus obiectis Rex primum manum inijceret. Qui cum oculos ad hoc intentos haberet, Ochus vtraque manu protenſa, dextrâ vnum ex adiacentibus cultris arripuit, altera maximum panem accepit, quem carnibus impoſitum ſcidit, & alacriter comedit. Quibus auditis, Magi hæc duo vaticinati ſunt, anni tempeſtiuam fertilitatem, atque annonæ copiam illo regnante, & cædium frequentiam portendi: neque falſi fuerunt.

Achilles veſte muliebri in gynecæo deliteſcens, ab Vlyſſe deprehenſus eſt. Ille ſiquidem ſe inſtitorem ſimulans, omnis generis merces, & præcipue ad mundũ muliebrem ſpectantes, venũ expoſuit: ad quę cũ Achilles in comitatu regiarum puellarum veniſſet ſpectandi emendique gratia, egregium conſpicatus gladium,

perſonæ quam gerebat oblitus, illum curioſius contrectare cœpit, non ſpecula, vel matulæ vnguenta, vel vaſa vnguentaria, & ſi quæ ſimilia dici poſſunt, veluti lauatio, viſcus. Neque enim data occaſione virilis animi impetum celare poterat. Vnde & ab Vlyſſe agnitus muliebrem veſtem poſuit, & cum ceteris Græciæ ducibus in exitium Troianorum profectus eſt. Ariopagitæ puerum damnauerunt, propterea quod is cornicum oculos ſtudioſiùs erueret, perniotiſſimæ mentis id ſignum eſſe iudicantes, quæ multis mala futura eſſet, ſi adoleuiſſet.

PROBLEMA XXI.

Vtrum quis poſſit efficere vt duo corpora ſe inuicem penetrent naturaliter?

HVius problematis occaſionem mihi dedit Ariſtoteles *lib. 4. Phyſica auſcult.* vbi inſinuat vas cineribus plenum tantum capere aquæ, atque ſi nulli ineſſent cineres. Quæritur igitur, Vtrum aqua & cineres, duo corpora, ſe mutuo penetrent, cum eundem omnino occupent locum? reſpondetur tamen negatiue, quia cũ cineres ſint rariſſima ſubſtantia & aëris pleniſſima, aër aduenienti aquæ, vtpote corpori craſſiori, cedit; vt vix ſenſibus deprehendi poſſit, pluſne, an minus aquæ vas recipiat ablatis cineribus, quam illis præſentibus. Sic igitur potius

tius Problematis titulus, vaſe pleno alia re quã aëre, tantum aquæ excipere, quantum vacuo.

PROBLEMA XXII.

Vt quis rectam colorum temperaturam ex ratione phyſica nouerit, & deſcribat, etiamſi artem pictoriam non didicerit.

PRimo itaque inquirendum, quid ſit color: deinde, quot genera ſimplicia: tertio, quot ſub illis, quaſi ſpecies: poſtremo, quot præcipuæ earum commixtiones, vnde varietas colorum exiſtit. Reſpondebimus ordine! Color eſt qualitas viſibilis, per quam corpus eſt coloratum; quæ qualitas quia exoritur ex commixtione perſpicui cum opaco; ſiue lucidi cum obſcuro: color diuidi commode poteſt in ſimplicem & compoſitum, ſiue in extremum & medium. quia perſpicuitas & opacitas vel extreme opponuntur, & ita eſt color ſimplex; vl non extreme ſiue mediate, & ita eſt color mixtus. Vnde albedo & nigredo quia extremè inuicem opponuntur, nec ab alio colore ortum habent, ſunt colores ſimplices. Tumque albedo dicitur cum perſpicuum ſiue lucidum mixtum prædominatur opaco: nigredo, cum opacum ſiue obſcurum mixtum prędominatur conſpicuo.

Color albus veluti genus hos colores ſub ſe

tamquam ſpecies cõtinet, niueum, argenteum, gemmeum, marmoreum, eburneum, & plures eiuſcemodi. Nigredo complectitur ſub ſe colorem atrum, fuſcum, ferrugineum, piceum, coruinum, & ſimiles. Nec illa male definitur eſſe color, in quo plurimum opaci; minimum perſpicui. Albor vero, in quo plurimum perſpicui; minimum opaci.

Sin autem perſpicuitas & opacitas non extreme opponantur, & color aliquis ex compoſitione aliorum reſultet, is dicitur compoſitus. diuiditurq; in quinque principales ſpecies: flauedinem, rubedinem, viriditatem, colorem purpureum, & cæruleum. Et ſi quiſpiam nouerit vnde ſinguli iſti otiantur, non erit difficile colores temperare. Sed flauedo naſcitur ex prædominio albi mixti cũ nigro; ſub qua comprehenditur luteus color, cereus, aureus, melleus, citrinus, fuluus & ſimiles. Rubedo oritur ex prædominio mixti nigri cum albo; ſub qua enumerantur colores, puniceus, rutilus, flammeus, ſanguineus &c. Viriditas exurgit ex prædominio nigri mixti cum rubro; ſub hoc continetur color herbaceus, praſinus, porraceus, æruginoſus & ſimiles. Color purpureus fit ex prædominio rubri mixti cum nigro; habeſque ſub hoc, violaceum, dibaphum, giluum, & ſimiles. Cæruleus oritur ex prædominio mixti viridis cum nigro; illi ſubijciuntur colores, glau-

cus,

cus, cæſius, liuidus, cineritius, pallidus & ſimiles. Facilius tamen hæc colorum temperatura ob nimiam varietatem diſcitur vſu quam arte; quamuis illa ſi adſit mire iſtum adiuuet. Vnde nulli vnquam eximij pictores extiterunt, qui non & vnà egregie docti.

PROBLEMA XXIII.

Quam facile ſit illum decipere, qui nimis certo aliquid ex inſpecta vrina de morbo interno ſtatuere velit.

CVm præcipuum in vrina ſit color, quod plerique explorant; atque ille, iuxta Galenum *lib.3. & 4. ſimplic. medicam.* parum aut nihil de temperamento mixti indicet, patet quam facile ſit eiuſcemodi vrinæ inſpectores fallere: ſi quis v. gr. in morbo aliquid comedat vel bibat, vnde vrina efficiatur flaua vel rubra, puta Rhabarbarum, crocum, vel aliud eiuſcemodi. Non quod experientes medici ſæpe non bene iudicent ex vrina, ſed quia color morbi vel temperamenti non ſemper infallibile indicium: quum vnus & idem ſæpe ſoleat ineſſe diuerſi temperamenti corporibus e. g. albedo ſeu nigredo modo calidis, modo frigidis; & flauedo ſiue rubedo modo ſanis, modo morbidis. Quia colores non proueniunt ex commixtione primarum qualitatum tactilium,

lium,ſed potius ex commixtione perſpicui cum opaco, ſiue lucidi cum obſcuro.

PROBLEMA XXIV.

Efficere vt quis ſonum audiat etiam non mediante aëre.

SOnus eſt qualitas audibilis, per quam corpus eſt ſonorum, orta ex ſubita & violenta corporum ſonantium partim colliſione, partim eliſione. Ad omnem vero ſonum producendũ requiruntur tria; percutiens, percuſſum & medium interceptum; vt cum malleus ferit campanam, & aërem medium elidit. Sed falli mihi ij videntur qui ſonum excipi ab audiente nõ poſſe putant niſi mediante aëre, qui ſoni eſt vehiculum, cum tamẽ id naturaliter fiat. Diſce artem vrinandi, & te ſub aqua contine aliquantiſper, ibi quædã audies non mediante aëre, ſed aqua. Cum enim teſtetur Ariſtoteles *lib. 4. hiſtoria animal. cap. 8.* piſces in aqua etiam minimos ſonos audire, tametſi aër eos non deferat ad ipſorum auditum, ſed aqua: cur id negabimus hominibus aquæ aſſuetis? aut fortaſſis piſces extra aquam non audiunt, quemadmodum nec cetera animalia extra aërem? Quid vero dicemus de lutra, ranis, alijsque animalibus amphibijs? elige quod placuerit, ſed cum fundamento.

PRO-

PROBLEMA XXV.

Quantum nubes diſtent à terra, edicere.

OBſerua aliquando, dum noctu exploduntur tormenta bellica, in quanta diſtantia prius flammam videas quam audias ſonum. Exempli cauſa, recede à tormento ad diſtantiam mediæ horæ, atque attentè aduerte dum ignis applicatur; videbis erumpentem flammam, applica tum indicem dextrum ad arteriam ſiniſtri brachij, & numera pulſus inter viſam flammam & exauditum ſonitum, tunc certo ſcies quot pulſus faciant mediam horam vel horam, prout longius à tormento receſſeris. Hac ratione quoque cognoſces quantum nubes diſtent à terra v. g. mediæ vel integræ horæ ſpatio, prout maius temporis interuallum inter coruſcationem & ſonitum tonitru interceſſerit. Obſerua tamen ſonitum tonitru aliquantulum citius perferri ad aures noſtras, quã ſtrepitum tormentorum, propter aërem qui ſupra eſt purior, quam infra circa terram, quò ſonitus penetrare debet. Animaduerti tamen ſępius, quò tormenta fuerint maiora, eò tardius à viſa flamma exaudiri ſonitum etiam ab adſtantibus: ita vt, ſi ſciamus quam longe tormentum glandem ferream eiaculetur, obſeruare poſſimus quot pulſus arteriæ requirantur

ad mediæ horæ vel integræ ſpatium, & ita proportionate menſurare nubium à terra diſtantiam. Hæc notitia pluribus in bello ſaluti fuit. Inter alios, Marchio Vaſtius cum ab inuictiſſimo Imperatore ſuo Carolo V. præmiſſus eſſet, vt exploraret ſitum vrbis Arelatenſis in Prouinciâ, maiori globo traiectus erat, niſi abſilijſſet vt conſpexit flammam. Similiter cum videmus fulmen, illud euitare poſſumus, quia venit è longinquo: ſumusque extra periculi aleam, ſi eo exaudito icti non ſumus.

Cur autem citius videatur flamma ex tormento, fulgur ex nube, quam audiatur ſonus, ratio hæc eſt phyſica: Quia cum lumen fiat per illuminationem corporis perſpicui factam ab aliquo corpore lucido præſente: illa illuminatio fit ſubito, & quaſi in momento; ideoque lumen citiſſime ad organum viſus peruenit. Sonus autem cum oriatur & propagetur ex ictu & impulſu vnius partis aëris poſt aliam; fit ille ictus & impulſus ſucceſſiue: indeque fit vt ſonus tardius ad ſuum ſenſorium deferatur, quam lumen.

PROBLEMA XXVI.

Quot arteria det pulſus ſpatio vnius horæ.

ID experiri quis poterit hac ratione: legat quiſpiam æquabili voce orationem Dominicam,

nicam, alter exploret interea ſuam vel legentis arteriam, & pulſus numeret. Tum vero idem ille lector oret per octauam horæ partem eandem orationem: & nō fuerit difficile per multiplicationem computare quot pulſus ſint in octaua parte horæ, ſi ſciat quot pulſus fiant ſpatio orationis Dominicæ, quotieſque illa recitetur octaua horæ parte: deinde octuplica numerum, & inuenies iuxta calculum doctiſſimi Fromondi fieri pulſus arteriȩ ſani & bene conſtituti hominis, horæ ſpatio, quatuor millia quadringentos quinquaginta. Quæ etiam minima temporis obſeruatio non fuerit aliquando minimi momenti.

PROBLEMA XXVII.

Edere boatum tormenti bellici abſque nitrato puluere.

COque atramentum in poculo triginta circiter vnciarum, & affunde largiter vinum aduſtum, vt vocant, & acetum: abſtrue os ne reſpirare poſſit. Et breui audies ſtrepitum poculo confracto, veluti ſi tonaret diſrupta nube, atrumque illum imbrem videbis per cubiculū diſperſum. Vinum enim ardens, ſulphuris vicem & halinitri ſimul implet, cum facillime accendatur & rareſcat in immenſum: acetum etiam additum, tamquam altera hali-

nitri

nitri portio. Ideoque incendiarij tormentorum vtuntur aceto, non tantum ad refrigerandum tormenta, ſed vt puluerem tormentarium incitet. Præterea, ex puriſſimi auri ramentis paratur puluis, qui radijs maxime Solaribus, aut modico igne accenſus, non ſurſum quidem vt tormentarius puluis, ſed recta deorſum, cum maiori etiam boatu, & viribus decuplo potentioribus, fulminat: adeo vt ſi incendatur in menſa, eam pertundat.

PROBLEMA XXVIII.

Indices Ventorum deſcribere.

IN deſcriptione ventorum, primò inuenienda eſt linea Meridiana, decurrens directè à polo Arctico verſus Antarcticum; cuius inuentio facilis eſt ex Vitruuio *lib. 1. c. 6.* per obſeruationem vmbræ gnomonis ſolaris, aliquãto ante & poſt meridiem. Vel certe potes ſic ruditer. Obſerua longitudinem vmbræ tuæ, cum datur ſignum horæ meridianæ, quæ apud nos eſt duodecima, vel certe vmbram ſtili alicuius tenuioris; ac per eam mediam, ducito lineam à radice ſtili verſus Septemtrionem. hæc enim meridiana erit, niſi horæ perperam regebantur. Aut noctu aſpice ſtellam polarem per cuſpides duarum, ſi vis, haſtarum, aut baculorum in terram interuallo aliquo defixorum. Linea

nea enim iterum inter vtrumque protracta, erit Meridiana. Alia deinde per hanc mediam ad angulos rectos, ab Ortu ad Occaſum ducenda. & habes iam quatuor puncta iſtarũ duarum linearum extrema, à quibus flant verſus centrum ſeu punctum interſectionis quatuor venti cardinales. Deinde pro ventis collateralibus aliæ lineæ protrahendæ, quæ priores ad angulos obliquos in eodem puncto interſecent, vt vna à puncto medio inter Boream & Eurum, quæ à Boreapeliote, inter Zephyrum & Auſtrum cadat, id eſt, in Notolibycum. Et ita in ceteris. Sic vt pro quoque pari oppoſitorum ventorum vna tantum linea ducatur, quæ ſit axis ſpirationis ipſorum, & à cuius extremis punctis flent ora in mutua, & reflent. Hæ autem omnes lineæ mutuæ circulo vno circumſcribendæ ſunt, qui imaginem horizontis habeat, & cuius centrum ſit punctum illud in quo omnes ventorum lineæ ſe decuſſant.

Talem circulum in villis ſuis ab agricolis deformari, ſuadent Scriptores rei ruſticæ. Vel potius, Andronici illius Athenienſis imitatione, duodecim, aut magis ſedecim angulorum turriculam concinnent, angulo quoque proſpectante in ſuum ventum; Tritonemque, aut gallum gallinaceum in culmine, qui roſtro angulum oſtendat, & inde flantem ventum. Vel ſi id nimium habet operæ, curent ſaltem operum publi-

publicorum præfecti, vt cruces templorum ita collocentur, vt vna pars tranſuerſalis ſubiaceat loci Meridiano, cornuaque protendantur verſus vtrumque polum. Sic enim altera neceſſario monſtrabit Ortum & Occaſum: habebuntque ab extremis illarum linearum punctis, quatuor ventos cardinales, quorum ſuperſedens gallinaceus index eſt. Collaterales etiam inter cornuum interualla, mente deſignare, difficile non fuerit.

Octo Ventorum ſedes, atque oppoſitio.



Con-

Conſuetudo autem ponendi gallos in turribus templorum profluxit à Gothis; horum illud inuentum. Ideoque potius videtur & obſeruatur apud Germanos, quam Italos. Gothi, gens pugnaciſſima, in curribus ſuis habebant gallos quaſi pro inſignibus, aut ſymbolo pugnacitatis, deinde ad diſtinguendas horas: hos gallos ex curribus tranſtulerunt ad turres. Nos vſum retinuimus, præcipue ad indicinam, qua cæli parte ventus ſpiret. A Gothis etiam ille luſus puerilis, in Bacchanalibus, committendi gallos, victoremque donandi tintinnabulo. Vnde certamen gallorum gallinaceorum initium traxerit apud Græcos, vide Ælianum *lib.2.c.28.*

PROBLEMA XXIX.

Quibus diebus poſſimus prædicere diuturniorem pluuiam, vel gelu.

Dies quidam, apud inferiores Germanos, pluuiarum atri & infames ſunt: & præcipuè quartus Iulij, quem S. Martini bullientis aut pluuij Belgæ appellant. Fabula aliquã mixturam veri habet. Si enim venti Occidentales, nobis maxime humidi & imbriferi, initio Canicularium aut Iulij flare occipiant, ſatis pertinaces eſſe ſolent, & pluuias in medium ſępe Auguſtum extendunt. Similis fere cauſa, diem S. Marci fecit vitibus calamitoſum: nõ quaſi ipſe ſin-

ſingularis ac peculiaris ſit in noxa; ſed quia circa finem Aprilis, intempeſtiuæ quædam pruinæ, veluti vltimæ hiemis reliquiæ, quandoque concreſcunt, quæ tenera vitium germina adurunt. Nec caret omnino ratione vulgaris verſus de Virginis Purificatione.

Si Sol ſplenduerit Maria purificante,

Maius erit frigus poſt feſtum, quam fuit ante.

Splendent enim, & maxime ſerenantur apud nos dies, Borea aut Cæcia flante. qui ſi longiuſcule Februarium incurrant, acerrimo gelu incruſtant: cum gelidi & ſicci ſint (præſertim Cæcias, & qui à Borea diuergunt ad Solem ortuum) & æſtatis præteritæ tepentes omnes reliquias, hiberno & longo frigore extinctas inueniant.

PROBLEMA XXX.

Vt ſonitus tympani audiatur à decem vel duodecim leucis.

COnſcende nauem, & duc in altum, pulſa ſudo & ſereno cælo tympanum, audieris vento qualiquali ſecundo à decem & amplius leucis. Id nautæ Belgæ experientia didicerunt. Ratio quod liquidus aër ſonum tranſmittat, eumque nihil impediat.

PROBLEMA XXXI.

Incubantis gallinæ oua præſeruare à tonitru.

ID quotidiana obſeruatione exploratum eſt, cum tonat, oua incubantis gallinæ ſæpe fieri euanida & putrida, vt nullos pullos proferre poſſint. Ratio eſt, quia ſulphurei illi halitus, qui tonante cælo diſperguntur per aërem, oua inficiunt & quaſi enecant, veluti peſtilens virus animalia afflat & extinguit. Huic malo occurrendum Laurô, cuius aliquot folia ſubſternantur nido, vt peſſimos illos halitus auertuncent. Veteres enim magno conſenſu Laurum tangi fulmine negant. Quod tamen mirum eſt, cum non tantum plana, ſed montes amet. Plurima namque olim in Helicone & Parnaſſo Laurus; indeque Apollini & Muſis ſacra. Mauelim tamen ex eo Laurum Muſis ſacram, quod veluti illa perpetuo viret; ita Poëtarum opera ſint immortalia.

PROBLEMA XXXII.

Ferrum quomodo ſubito liqueſacias.

APprime ferro ſulphur inflammatū, & videbis in guttas friabiles ſtatim diſtillare. Sulphur enim in eo eſt quod præcipue ardeat & comburat; habetque actiuitatem intenſiſ-

ſimam: ita vt ſulphureus puluis patinæ argēteæ v.g. ſuperſparſus, & candela vndiquaque incenſus tantum argenti abducat, quantæ ipſe puluis eſt quantitatis. Quod verum eſſe videbis, ſi ex aduerſa parte patinam malleo percuſſeris. Actiuitas vero tanta eſt à materia pingui & viſcoſa. Quin & vitrum filo frigido & ſecabile reddit, ſi illud prius oleo perlitum inſperſo puluere ſulphureo incenderis. Sic calefactum quocunque volueris loco ſecabis filo aqua prius frigefacto, non ſecus atque ſi in cuſpide Adamantis contigeris.

PROBLEMA XXXIII.

Vtrum, quando tonat & fulminat, ſuſcitandi ſint dormientes?

RESpondetur, negatiuè: Plutarchus enim *lib.4. Sympoſ. q.2.* aſſerit dormientes nō facile ici fulmine. cauſam affert: quia in dormientibus pori aperti & hiantes tranſitum facilem præbent fulmini. Sed contra eſt. Extremæ enim partes corporis in ſomno potius rigent & condenſantur, calore in centrum & interiora retracto. Deinde dormientium oſſa ſaltem non ſe aperiunt, aut laxantur. Altera igitur ratio eius melior eſt: nempe, vigilantes ſæpe putari fulminatos, qui tamen tantum afflati, corruunt ſolo metu vicini fulminis, & exanima-

mantur. timor vero iſte non tangit dormientes. Hinc paſtores gregum, vt terrorem pecori depellant, aut minuant, boues aut oues compellunt in vnum. Societas enim ipſa leuat metum, qui non raro trepidum à natura & imbelle pecus pecus pæne exanimat. Dormienres etiam ſomno ſternuntur, fulmen autem obliquo & tranſuerſali ictu facilius erectos in pedes ferit.

PROBLEMA XXXIV.

Sudarium tenere in media flamma vt non comburetur.

INtinge vino ardenti, accende ad flammam candelæ, videbis ſudarium in media flamma, & non exuretur. Ratio illius, quod in iſta flamma ſit fluxa raritas, quæ vim amburendi planè diſcingit, ideoque linteum eo madefactum nihil vſtulat, contenta ſolum humorem exſugere.

PROBLEMA XXXV.

Ex ſaccaro ſcintillas excutere.

SI ſaccaro bene cocto & gelato cultrum affrices in denſis tenebris, flammas perpetuas, vix irrito vllo ictu, emicantes videbis. habeo tamen, cur dubitem, igneæne flammulæ,

an lux & albedo ſpiritubus ſaccareis natiuæ ſint. Certum eſt enim, multos eſſe ſpiritus qui lucem ſine igne habent. Putaſne Poëtam, cum Turnum iratum deſcribit,

His agitur furijs, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt: oculis micat acribus ignis,

intellexiſſe ignem, qualis qui focum noſtrum accendit? Plus ingenij habuit. ſcintillæ iſtæ nitent tantum, vt nitedulæ vel lampyrides, non vrunt. Sunt enim animales, aut alij in corpore ſpiritus, quos ira, pudor, & ſimilis alia perturbatio per neruos opticos in tunicas oculorum expellit. Hinc flagrantes illi Tiberij oculi, qui cum primum à ſomno patuiſſent, omnia in tenebris, ceu media luce cernebant. Soli etiam ſpiritus in equis & felibus lucent, ſi aduerſo pilo vehementer frices; ſcintillas excuties, ſed nõ ardentes, quemadmodum & cultri affrictione ex ſaccaro. Ibi tamen interuenire poſſe aliquid igneæ qualitatis non fuerit abſurdum ſuſpicari ob chalybem & ſaccari duritiem, quod ſæpe quaſi lapideſcit, cum colliduntur.

PROBLEMA XXXVI.

Iaculari bombardâ puluere remanente integro.

ID fiet ſi ex feneſtra iaculeris recta deorſum: tum enim totus puluis qui eſt in tubo non poterit accendi, quod ignis natura ſua non de-

orſum

orſum ſed ſurſum tendat,priuſquam vi ignis eijciatur. Vnde ſi ſurſum iaculeris,bombarda maiorem ſonum edet, glansque maiore impetu feretur, quam ſi deorſum collimes. Suppone aliquando chartam, ſi experiri velis an omnis puluis fuerit accenſus, & videbis pluribus granis puluereis illam perforatam.

PROBLEMA XXXVII.

Quomodo puluis intendi & meliorari poſſit.

PVluis fit ex tribus, halinitro, vel potius ſal-petra (nam hanc ab halinitro Veterum diſtare, probat *Exercit.104.* Scaliger) ex ſulphure,& carbone. Non idem autem ſumitur pro maioribus & minoribus tormentis. Si enim ſclopetum puluere illo craſſiore machinarum oneraueris, vix ad decem orgyas glandem excuties,ait Biringuccius: ſi minuſculo ſclopetorum puluiſculo,machinas franges. Immenſa etenim flamma, momento fere temporis, ex eo accenditur; cum vnumquodque pulueris granum,flammam (Snellij experimento) 125000. ſe maiorem ſpargat. Pro maioribus tormentis accipiuntur tres partes halinitri,vt docet Biringuecius,duæ partes carbonis, & vna ſulphuris. Pro mediocribus quinque partes halinitri, vna ſulphuris,vna cum dimidia carbonis.Pro bombardis minoribus, decem partes halinitri, vna

ſulphuris,& vna carbonis ex virgis nucis auellanæ. Quidam, vt celeriorẽ puluerem faciant, & intendant ictum, ſingulæ cuique libræ ſulphuris, vnciam vnam Mercurij ſeu argenti viui admiſcent; alij libræ halinitri, quartam partem vnciæ ſalis ammoniaci. quidam etiam ex Colladi præcepto, puluerem in tubo, haſta transfigunt ad accelerandã inflammationem. Quod maximum momentum habet in tormentis maioribus, quando puluis eſt groſſior, tardiusque flammam concipit. Porro vis præcipua pulueris eſt in halinitro, quod à ſulphure prompte accenſum, puncto fere temporis vniuerſum deflagrat ſine vllo cinere.

At quanto temporis ſpatio defertur globus ad ſpatium v.g. trium milliarium Italicorum, ſiue leucæ Belgicæ? Rothmannus putat vnico temporis minuto, ſi quis iaculetur duplici cartoa; ita vt vnoquoque minuto tria circiter paſſuum millia talis tormenti globus conficiat. Et inde poteſt quis coniecturam facere de alijs tormentis & bombardis.

PROBLEMA XXXVIII.

Quouſque vir doctus amare poßit ingenuam puellam citra culpam.

SEcundùm Platonicos duplex eſt pulchrum in ratione obiecti: intellectuale, & animale. Pul-

le. Pulchrum intellectuale mouet animum ad ſui fruitionem intellectualem, vt ſunt Deus, Angeli, animæ. Pulchrum animale inclinat ad ſui fruitionem animalem, vt ſunt cælum, picturæ, ædificia, carmina, orationes, forma exterior honeſtæ puellæ, &c. quæ fruitio viſu tantum, vel auditu, vel vtroque perficitur. Peripatetici tertium Pulchri genus addiderunt, Corporeum quod animum pellicit per omnes vel plures ſenſus ad corpoream ſui fruitionem, id eſt voluptificum ſui vſum, qui expletur tactu & amplexibus. Hinc manifeſtum euadit triplicem quoq; eſſe amorem (quia amor deſiderium eſt perfruendi pulchri per viſum vel auditũ, vel per mentem, vel horum plura vel omnia) diuinum, humanum, ferinum ſiue brutalem. nõ quod bruta vel feræ propriè amare dici poſſint; neque enim pulchri deſiderio tenentur; ſed quod homines feris, brutiſque hoc infimo amoris genere reddantur quodammodo ſimiles. Omnis autem amor incipit à viſu. Vocamusque amorem illum diuinum, cum quis ab aſpectu ſeu corporali ſeu intellectuali aſcendit in mentem, ſeipſumque quaſi tranſcendens ardenti deſiderio fertur in res diuinas & æternas, & ſtatim à formæ corporalis viſu in ſpiritualis & diuinæ erigitur. Et hic amor eſt amor hominum contemplatiuorum, qui ita ingenioſi ſunt, vt altiſſime prouehantur. E contra amor ferinus ſiue bru-

brutalis ab affectu deſcẽdit ad tactum & à media ad ima deprimitur. quique hoc amore percellitur, ardet viſa ſtatim pulchritudine frui per omnes corporis ſenſus: vel reuera pulchram puellam vel vt talem apprehenſam vbi viderit, mox ſatagit illam ad mutua colloquia pellicere, deinde tangere, olfacere & guſtare. Tactus carnis læuitate & mollitie affici dicitur, olfactus in corporis fragrantia, guſtus in oſculis columbinis conſiſtit. Vbi enim amori illi brutali ſemel aperta ianua per viſum, frenaque laxata, non ante quieſcit, nec regi poteſt, donec re amata potiatur. Nec deſiderium illud fruendi pulchri modum aut menſuram habet, nullamque ſatietatem admittit niſi in actu obſcœno, quod ſe ita habere ipſa cuiuſque cupiditas indicat, quæ numquam quieſcit aut expletur niſi eam rem adepta quam adipiſci nitebatur. Nempe fames ſitiſque cibo & potu ſedantur; amor à nullo vnquam corporis aſpectu impletur, niſi amplexus tactilis interueniat, vt ex pulchro & in pulchro generet ad perpetuam ſui cõſeruationem. Neque enim pulchrum ſolis viſu & auditu animos noſtros mouet, ſed ijs omnibus ſenſibus quibus pulchri ſpecies in animum trahi poteſt odoratu ſcil. guſtu, & tactu. Aut dicemus ideo cæco non videri amaſiam ſuam pulchram, quia ea frui non poteſt niſi quatuor ſenſibus? imò ſæpe fit vt etiam ea pulchra ab amatore ſuo iu-

dice-

dicetur, quæ non alia re ſit commendabilis quã carnis læuitate & mollitie, quod accidit in Æthiopiſſis. Hic vero amor eſt voluptuoſorum hominum qui non niſi explere libidinem ſuam ſtudent. Non tamen ſemper eſt peccaminoſus, id eſt reatum culpæ grauis ſecum trahens. Quid enim? numquid omnes puellæ & iuuenes qui inuicẽ procantur, & ad matrimonium ſollicitant, ſemper peccant mortaliter, quamuis eorum finis & intentio ſit ex pulchro & in pulchro generare ſibi ſimile? nequaquam: ſi iſta non velint, nec concupiſcant, niſi ſecundùm Legem Dei & Eccleſiæ, id eſt legitimis nuptijs: multo minus amor qui inter coniuges intercedit, dicendus eſt ferinus vel brutalis, cum ille ad modum humanus ſit & honeſtus. vnde Apoſtolus monet, Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Et *Hebræ. 13.* honorabile, inquit, connubium in omnibus, vt torus immaculatus. Deinde S. Auguſtinus obſeruat illum Chriſtianarum nuptiarum primum & legitimum finem, ex pulchro & in pulchro generare ad perpetuam ſpeciei conſeruationem. Ideoque illum tantummodo amorem brutalem & ferinum vocemus, qui re amata fruiſci cupit quacunque via ac ratione, licet longiſſimè à Deo, Legibusque, diuina & humana recedat. Atque iſthæc in præſentiarum de vtroque hoc amore dicta ſufficiant. veniamus ad tertium

quem à Platonicis appellatum diximus humanum, qui inter duos alios veluti extremos medius eſt:

Amor igitur humanus ad vitam actiuam & moralem ſpectat, eſtque is qui in ſola illa videndi, audiendique & conuerſandi oblectatione conſiſtit, nec in ſublime erigitur, ad inde contemplanda diuina, nec in imum demergitur, vt alijs ſenſibus quam auditu & viſu pulchro frui velit: ſed in eo ſubſiſtit, vt veluti pictura vel harmonia, ita honeſta ingenuæ puellæ præſentia delectetur. Ita namque generati educatique omnes ſumus vt ad vitam vel contemplatiuam ſiue ciuilem, vel voluptuoſam prompti & procliues ſimus. Pauci ſupra ciuilem vitæ tenorem, actionemque, per contemplationem ſe erigunt: quam plurimi ad voluptates inclinant, medioque vitæ actiuæ tenore relicto ad ima deflectunt animum. An vero aliqui quaſi in medio ſubſiſtere poſſint? Iſtud hic quæritur. ſi enim id citra culpam queat fieri, manifeſtum euadit quouſque vir doctus ingenuam puellam amare queat.

Iſtud ſed hîc prius inquirendum, vtrum Philoſophi Chriſtiani animus in pulchro vt ſic aut alio bono voluptifico ſic acquieſcere poſſit, id eſt eo frui quod quietem quandam animi deſignat, vt non debeat ferri ſurſum atque voluptatem illam referre in Ens illud ſupremum, om-

omniumque Conditorem DEVM? Manifeſtiſſimum ſiquidem eſt ex puriſſima ſanctiſſimaq; doctrina S. Auguſtini, Creaturam rationalem non poſſe in amando aliquã rem creatam ſubſiſtere, vt in ea finem ſuum vltimum conſtituat. grandeque eſſe piaculum ſi quis voluptatem in edendo vel bibendo quærat, in eaque ita hæreat, vt illam quærat propter ſe, non referendo vlterius eſum & potum ad meliorem finem qui tandem in Deum deſinat. quidquid enim non adducit ad Deum, abducit, & qui cum Deo nõ colligit, diſpergit. vnde nec ſanctiſſimus Doctor actus humanos admittit indifferentes: vel enim ex fide ſunt & charitate, & ita ſemper boni, vel non ex fide & charitate, & ita ſemper mali; medios nullos agnoſcit. Atque his poſitis liquet Philoſophum Chriſtianum non poſſe ſe eovſque honeſtam puellam diligere, vt ex illo amore voluptificum quid percipiat, atque in eo acquieſcat, nec ſibi præſtituat alium aliquem finem, veluti in edendo, bibendo, cantando, ambulando, qui actus non ſeipſis expetendi ſunt, ſed ob alium finem honeſtum deducentem ad Deum.

Deinde quæri poteſt, vtrum medius ille diligendi modus ſit poſſibilis? an quiſpiam ea animi moderatione ſit, qui ingenuam puellam amet nec ea frui deſideret niſi viſu audituque, vel ad ſenſum tactus alioſque propellatur? plurimi

rimi id negant ob rationes iam ſupradictas; aliqui concedunt, quos inter Ficinus Platonicus, qui pluribus contendit homines contemplatiuos ab amore humano aſcendere ad mentem, vel etiam in morali honeſtoque ipſo amore ſubſiſtere poſſe. Viri enim heroici & ſancti, qui appetitum ſenſitiuum recta admodum ratione moderantur, per viſum & auditum dumtaxat ingenuæ puellæ conuerſatione frui poſſunt abſque deſiderio vlterius vtendi. Non enim appetitus eorum recta intentione regulatur, niſi altero frui poſſent, ſine alterius deſiderio. Exemplo ſint Socrates & Anaxarchus, qui rationis moderamine affecti non ſemel humano pulchro fruentes, Veneris deſiderio nequaquam viſi ſunt affici. Xenocrates dimiſit Chrinem à lecto abire, & quidem intactam, qua tantum per viſum & auditum noctu fruitus eſt. quod non ob aliud feciſſe videtur, niſi quia appetitum ratione compreſſit. Inſuper pater modeſtus ac temperans filiam quotidie videt, audit, familiariterque cum ea conuerſatur, nec tamen vllo illius turpi amore detinetur, quod ſi pater id queat, cur heroicus vir & ſanctus, qui cuncta rationis moderamine agit, eamque veluti pædagogũ ſenſibus præficit, idem non poſſit facere? Iſthæc quidem latius Ficinus alijq; ex Platonis ſectatoribus diſputant, ſed maioris lucis gratia mihi hic videtur adhibenda diſtinctio. Ante

Ante omnia igitur ſtatuendum duplicem puellis ineſſe pulchritudinem : alteram corporis, quæ in formæ venuſtate aptaque membrorum proportione conſiſtit, animi alteram quæ ſita eſt in gratia quadam, quam ſuauitatem & concinnitatem morum vocant. Cumque pulchritudo illa corporis ſecundùm antiquos, & melioris notæ cum Philoſophos tum Poëtas, ſit animi quædã quaſi Tyrannis, tacita deceptio, eburneum detrimentũ, regnum ſollicitudinũ, amantium carnificina, vix fieri poſſe concedo vt vir doctus ingenuam puellam amet ob elegantiam formæ quin ea frui deſideret per omnes ſenſus qui non ſatiantur niſi vſu ipſo venereo, prout ſupra diſputauimus, quia pulchri ſpecies ſe in animam per omnes ſenſus infundit, appetitusque humanus non ſatiatur niſi eo quo plene pulchritudine fruitur. Et vt vir doctus ea ſit moderatione animi, atque in tantum appetitum refrenare poſſit, vt ingenua puella numquam practicè frui velit, contentus ſolo viſu, alloquio, & conuerſatione ciuili : attamen quia aſſiduum vlterioris appetentiæ & periculũ con. ſenſus in tactum ſubeſt, firmiter iſtud apud animum ſtatuo, virum doctum pulchram puellam amare non poſſe citra culpam quà pulchram. Et quis eum virum doctum temeritatis culpæ affinem non decernat, qui aſſiduè in ea acie verſari velit, qua honeſtè poſſit excedere; vbĩ

re; vbi aſſiduæ pugnæ, rara victoria, perpetua pericula, crebri caſus. Sin autem eam amet ob morum concinnitatem, venuſtatem ſermonis, ingenij præſtantiam, ingenuitatem, vitæ integritatem, & præcipuè verecundiam & pudicitiam qua anima maxime pulchra & cæleſtibus ipſis ſpiritibus ſimillima efficitur: neque enim veſtimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo tantum valet ad mulieris commendationem quantum modeſtia in rebus, ac ſtudium decore, honeſteque viuendi: Sin, inquam, eam diligat, non propter dotem aliquam corporis ſed animi, nec amore concupiſcentię in eam feratur, ſed amicitię, qualis fratres intereſt & ſorores, vt non ſuam dilectionem ex ea quærat, ſed bonum aliquod ſpirituale, aut temporale ipſius puellę: fieri poſſe exiſtimo vt eo vſque ingenuam puellam citra culpam vir doctus amet: ſi tamen ea quoque acceſſerint quæ ſupra ad maiorem amandi cautelam adduximus.

Sed ea humanæ fragilitatis eſt conditio, illa vniuerſi generis noſtri corruptio, vt qui ſub initium huius ciuilis & honeſti amoris in vigilia & excubijs quaſi ſtetimus paulatim diuturnioris temporis ſucceſſu in noxiam ſecuritatem obdormiamus, ſuperſeminatisque ab inimico homine zizanijs ingenuus ille amor degeneret in ferinum & brutalem; & qui ſpiritu inchoarunt, carne

carne ſæpe conſumment. Ab hoc metu eſt cur ſancti Patres, ſignanter D. Hieronymus, Auguſtinus, Bernardus locis expreſſiſſimis moneant vt puellas Chriſti aut æqualiter diligamus omnes, aut omnes pariter ignoremus: Adderem pondera rationum quas illi proferunt: ſed vltra ſcopum iaculum non expedio. Iſtud nobis abunde eſt ex principijs Philoſophicis aliqualiter oſtendiſſe, an vir doctus amare puellam poſſit citra culpam. Quamdiu vero id fieri queat, difficillimum eſt ſtatuere, niſi quod omnis in amando mora ſit plena periculi, quamuis enim in alijs quod ſemel licitum & honeſtum, plerumque vt tale etiam exiſtat in ſæpius iteratis actibus: vt in amore ſemel, iterum aliquotiesque quidpiam decore fit, quod tamen crebris actibus in vitium tandem deſinit, & ex amicitia honeſta fit voluptifica, quæ culpa nequaquam caret. Nec hic mihi quiſpiam obijciat, ſe puellis quidem beneuolentia affici, at illas non amare. Reſpondeo neceſſe eſt ibi amorem intercedere, cum abſentis deſiderio cruciaris, doleasque cum abierit: iſta ſi non ſentias concedam te amore nequaquam teneri; ſed vnde itus reditusque eiuſdem ad eandem? tam crebra collocutio, mutuusq; aſpectus? nec ipſa ſenectus ab amore ſenſuali quempiam ſecurum præſtat, ſi non ætate æquales diligat, ſed longe inferiores: tum enim illius amoris cauſa eſt, cor-

corporis pulchritudo, quæ ab amante ſemper ineſſe concipitur iuuenibus, quorum ætas viridis & formoſa. Et vt calor concupiſcentiam propter ætatis defectum non inflammet, diabolus numquam deſinit folles admouere, & quamuis tenuem & exiguum igniculum reaccendere: vt ne mortuæ quidem fidendum ſit, ne viro non noceat.

Poſtremo quamuis ita animo cõpoſitus ſis, eamque legem ſenſualitati indixeris, vt intellectuali tantum fruitione puellæ contentus eſſe poſſis, nec ſecus eam alloquaris & audias, videas & videaris, quã ſi ex te genita foret: attamẽ ipſa puella ob iudicij imbecillitatem, & fragilitatem ſexus, quem demus contra cætera vitia æquè ac virorum fortem, in luxuriam tamen omnium Doctorum iudicio pronior eſt. Quæ vbi amari ſe ſenſerit, non poterit quin redamet, præcipuè virum honoratum & doctum, quem indubitatum ſuæ pulchritudinis teſtem putat, quia non cenſentur amore dignæ niſi pulchræ, ideoque multum ſibi tribui honoris exiſtimat, quia non obſcuris indicijs ſe amari ſentit. Et quis vir prudens arbitrabitur eiuſmodi puellas poſſe ſe tenere in medio illo amoris genere, vt legem quam tibi præfixiſti, metamque rectæ rationis non tranſiliat? Cumque muliebris amor lenocinijs numquam careat, vix poteſt fieri vt virilem conſtantiam

non

non inclinet ſiniſtrorſum. Quibus de cauſis à gratia diuina:

Pauper amet cautè: at ab illa diues,
Nunc amet qui numquam amauit,
Quiq; amauit nunc amet.

PROBLEMA XXXIX.

Locum inuenire vbi te ſuauis oblectet Echo.

VT Echo generetur, quæ nihil aliud eſt quam ſonus euidenter; ſed imperfecte ad auditum reflexus, neceſſe eſt vt aër qui ſoni quaſi currus ſiue vehiculum, euidenter repercutiatur. Vt vero locum inuenias vbi id fiat, animaduertere debes, vbi ſit aliquod corpus, v.g. domus, rupes, murus, vallis, fornix, collis, durum, denſum, læue & concauum; quod aërem vehentem ſonos nõ ſinat vel vlterius progredi, vel ad latera diffundi, ſed ipſum repercutiat. Tunc enim cogitur eodem tramite, quo aduenit, reſilire ac retroflecti vna cum ſono, quem ſecum vehit; quemadmodum pila vehementi ictu impacta parieti, euidentius reſultat. Quia autem ille motus reciprocus imbecillior eſt priore motu; hinc fit vt ſonus etiam imperfecto ſecundùm extremas tantum illius partes ſeu ſyllabas ad auditum noſtrum deferatur. In concauis enim locis quaſi in vaſe exceptus ſonus, cũ non facile diſſipari poſſit, coniunctuſq;

F con-

conſeruetur, aliquoties ad primum ſonans repercutitur & redit. Et hæc eſt cauſa cur Echo in conuallibus, & rupibus concauis, & locis cameratis potiſſimum audiatur: eademq; de cauſa fides in organis muſicis extenſæ vocalius ſonant, dum expanduntur ſupra corpora concaua, in quibus reuera fit Echo, ſed propter exiguam chordarum à concauo corpore diſtantiam, vix percipitur, niſi in leui forte & vnico attactu: alioquin ſoni nimium confunduntur, vt Echo percipi non poſſit, etiam ab attentiſſimo.

PROBLEMA XL.

Quomodo naturaliter nulla adhibita arte detur vacuum in rerum natura.

ID fiet, ſi in magna copia vrinam egeras: tum enim ſpiritus externus ſubito corpori ſe infundens, & per inuiſibiles cutis meatus aër in veſicam penetrans, indicant ibi dari vacuum, ad quod impediendum violenter agunt & ſubito. Hinc ille corporis horror, quod violenter quis fuſâ de cruribus aquâ, à circumfuſo aëre, idque citiſſime, inuadatur.

PRO-

PROBLEMA XLI.

Aliquem ſuſtentare ſine cibo & potu.

Istud quidem verum eſt, ſolum odorem vel halitum odoriferum non habere vim nutriendi ſed fallendi dumtaxat ventriculum inani ſolatio, cum nihil proprie nutrire poſſit, niſi quod vi caloris vitalis concoquitur, & in ſubſtantiam rei alitæ conuertitur. Attamen experientiâ conſtat, quod quis per plures dies ſuſtentari poſſit ſolo cibi odore,&pręcipue panis recentis. Sed illa hominis ſuſtentatio nō fit per nutritionem; ſed per refectionem ſpirituum vitalium: qui quamdiu vegeti manent, homo interire non poteſt. Refici autem ſpiritus vitales per odorem, manifeſtiſſime patet in patientibus deliquium animi, qui rebus odoriferis illico refocillantur, quod halitus ille per nares in corpus penetrans ſpiritus vitales quaſi reſuſcitet & refocillet. Quin inter omnia animalia ſoli homini natura dedit ſenſum odoris boni, propter corrobationem & recreationem ſpirituum animalium cerebri,qui aſſiduis cogitandi actibus debilitantur. Vnde non ſola vanitas, quod Aulici vtantur perfumatis optimo odore.

PROBLEMA XLII.

Aërem mutare in aquam.

ILlud potes quoties volueris, ſi bibendo vinum, aliquid calidi halitus vel imprudens & inaduertenter in vitrum vnde bibis immiſeris; aut etiam vitro loto vinum infundas: Tum enim aër vitro circumfuſus à calore conſtipatur, tamquam cauſa efficiente, ſed remota; mediante vitro tamquam cauſa proxima, quod frigore ſuo aërem congelat & adſtringit; efficitque vt guttatim, ſi digitum exteriori parti phialæ admoueris, aqua decidat, quæ à vitro tamquam corpore minime poroſo eſſe nō poteſt. Idem fit ſæpius circa feneſtras vitreas, cum fornax hypocauſti accenditur; circa muros, aliàs ſiccos, cum gelu hiemale reſoluitur. Neque tam marmora hieme ſudant, quam adfuſum aërem vertunt in aquam, idque vi frigoris. Vt enim intenſum gelu aquam ſtipat, ita mediocre aërem facit liqueſcere, præcipue vbi calor agit mediante corpore frigido ſi non natura, effectu.

At ratione vitrorum, libet hîc aliquid adtexere de inſolentia iſtorum, qui inter commeſſandum gaudent epota vitra ad parietes & tabulatum elidere, elegantiæ vt videri volunt gratia: cum reuera non ſit niſi merus abuſus, & ex vi-

ex vitiata phantaſia. Plutarchus in Problematis ſcribit, Romanos ſolitos multum vini profundere in templo Veneris ipſis Veneralibus, id eſt die feſto Veneri: quo omnes admonerent diem feſtum ſobrie agi oportere; quod Dij longe magis vini effuſione, quam ingurgitatione gaudeant: Hebræi quoque, vt eruditi teſtari poſſunt vitrum frangebant in nuptijs, vnde ſponſus ſponſaque biberant: quò admonerentur recenter coniugati quemadmodum vitrum, ita res omnes eſſe humanas, nempe caducas & fragiles: deinde ita temperandum voluptatem, vt ſemper meminerint lutei & fragilis vaſis corporis humani, quod circumferunt. Eſt enim vita noſtra breuitati varietatique in primis obnoxia: quæ mane cum voluptate adducitur, veſperi ſæpe malis affligitur. Hodie proſpera; crás in aduerſam leui momento cō-mutatur. Vitro fragilior eſt, neque quidquam ſub lunæ globo felicitate noſtra magis incertum aut caducum;

Nam quos Sol oriens videt ſuperbos;
Non raro hos abiens videt cadentes.

Hac de re ſed iſti calicum remiges, indefeſſi combibones, cogitant ſcilicet. Non deſinent tamen eos quæ frangunt vitra fragilitatis propriæ admonere, cum anteactæ vitæ ratio vel inuitis aliquando occurret in paupertate, vel morbo.

PROBLEMA XLIII.

Velocitatem curſus Solis deprehendere.

SI ſereno cælo in monte, turri, vel littore maris conſtiteris, vbi longa eſt planities, videbis orbem Solarem paulatim ſupra horizontem aſcendere. Et tum numera quot pulſus dederit arteria tua, vel quot voces articulatim protuleris intra illud ſpatium, quo Sol primò contingens horizontem viſibilem, totus emerſerit: ita vt primò exiguam illius partem videas, deinde ipſum totum ſupra terram. Miraberis quanta curſus Solaris ſit velocitas. Cum enim ſit maior terra multis millenis vicibus, vt volunt Aſtronomi, patet quod ſpatio aliquot pulſuum arteriæ, vel lectionis mediocris Pſalmi, decurrat tot horarum millia, quot ipſe diamitraliter magnus eſt. Clariſſimus D. Vendelinus, amicus noſter incomparabilis, magni nominis Aſtrologus (vti mihi aliquando retulit) arbitratur Solem ſeptuagies millies terra maiorem. Et hinc facile eſt deprehendere velocitatem orbis Solaris.

PROBLEMA XLIV.

Intempeſtiuis diſputatoribus occurrere.

ERuditos inter aliquando accidit idem, quod inter milites, vt nonnulli nimio diſputandi & quaſi decertandi deſiderio, ingenijque

que oſtahdi cauſa, in quoſcunque etiam melioris notæ incurſent. Quemadmodũ depugnandi ardor milites ante pugnam ſępe in diſcrimen adducit; vnde exiſtunt duella: quia nec tempus oportunum, nec locum exerendæ artis & virium expectare poſſunt. Haud ſecus ſemidocti quidam quoslibet quà datur, & quà non datur laceſſunt, & ad diſputandum proritant, idq; ſæpius inter pocula ſuper menſa, loco alieno: quaſi eos tum loquendi morbus inuadat, veluti veternoſos bibendi & dormiendi. Fateor doctos inter contentiones interuenire aliquando vtile, imò neceſſarium: ſi modo ſeruata modeſtia pro veritate eruenda, tuendaque; non pro ſua quiſque opinione confligat. At ſuper menſa nõ de ſerijs, iuxta illud Marci Varronis in Satyra quæ inſcripta eſt, Neſcis quid ſerus vehat veſper: In cõuiuio, inquit, legi nec omnia debent, nedum diſputando diſcuti; ſed ea potiſſimum quæ ſimul ſunt βιωφελῆ, id eſt, vitæ vtilia, quò illæ altercationes non ſpectant: & delectent potius, quàm animos vtrimque exacerbent & torqueant. præcipue cum docti etiam à ſede rectæ rationis tum deijci queant. Quæ verba vel ideo lubentius adſcribo, vt adoleſcentiores, qui à vitio ſtudioque oſtentationis plerumque loquaciores fiunt, ab hac intemperie reuocem; ſenioribus gratuler, qui vitam ſuam ad normam Marci Varronis componunt: cumq;

huiuſcemodi aliquid accidit, futilium & importunorum locutuleiorum clamores riſu & diuerticulis eludunt, nullamque diſputandi faciunt copiam. Neque eos latet quibuſdam in more poſitum, vt non pauca memoriter diſcant, atque in ijs exerceant ingenium: ad quæ paulatim ſermonem pertrahunt, vt de ijs diſſerant, vel quęſtiones eliciant; hac vna re ſatis prudentes & cauti, ne extra ſuum chorum inepte ſaltent. Sed eruditi qui vt vaſa plena non altum tinniunt, naſum Rhinocerotis habent, hancque praxim haud difficulter ſubolfaciunt. Sed ad propoſitum problema vt reſpondeam: quomodo intempeſtiuis illis diſputatoribus ſit obuiandum. Admiratus aliquando fui virum eruditum, hac in re perquam induſtrium: is veluti belligerator exercitatiſſimus feruidos illos blaterones & vitilitigatores, non ſecus atque optimus imperator aggrediebatur. dicereque ſolebat, Tum gradu clementi & ſilentio opus eſſe, cum ad hoſtem itur in conſpectu longinquo procul diſtantem. Et nonne leues illi buccinatores, nullo rerum pondere nixi, verbis duntaxat humidis & lapſantibus diffluentes, longiſſime à nobis abſunt? quamuis vana perſuaſione ſcientiæ ſe ſupra ceteros extollant. Cum vero prope ad manus venitur, tum iam è propinquo hoſtis & impetu propulſandus, & oſtenſione maturæ eruditionis terrendus eſt. id

eſt, poſteaquã impetus ille & feruor diſputandi deferbuerit, tũ ſolida aliqua ratione, vel argumento ita reuinciendi, vt euadere non poſſint: immergenda ventoſo vtri acies vt ſubſidat. Intime in animo me afficit illud D. Hieronymi in epiſt. Prudentis viri eſt ſcire quid taceat, dubitare quid dicat. Impoſſibile vt is inquirendæ rei ſereæ cordate inuigilet, qualis in primis eſt veritas, qui tam ludicris verborum velitationibus, captatiſque ex omni occaſione diſputationibus & iurgijs vacare poteſt. At vt galli gallinacei plerumque pugnant, vt pugnent: ita iſti diſputant vt diſputent, nec eruendæ veritatis ſcopum ſibi præfixum habent. Alioquin verum eſt, ſicuti ex lapidum colliſione ignis: ita ex diſceptationibus elicitur veritas; quia aduerſarij ſua vel pertinacia, vel ſapientia ſunt inuicem magiſtri.

PROBLEMA XLV.

Alueos diducere ad irrigandum prata & hortos.

CArdanus *lib. 1. Variet. c. 6.* dicit antiquos in aquæductibus ſeſquipedem in centenos pedes conſtituiſſe. crediderim ad molas potius circumuoluendas, quam ad irrigandum terram; cum irrigatio debet fieri leni & placido defluxu aquarum, vt ne impetu nimio herbas eradicent, aut ſolum ſubuertant.

Vnde addit, noſtra ætate, ſubtiliore ratione, ſed ad irrigandum ſolum opportuna, in ſingula ſpatia ſexcentorum pedum ſolum pollicem vnum declinamus. Qui pleniſſime ſufficit: cum enim aqua ſit corpus graue & liquidum, prætereaque continuum; in quoduis ſpatium decliuius pondere ſuo fertur, & vnda vndam protrudit: tantoque aquæ ſe magis premunt, inuicemq; præcipitant, quò deuexitas fuerit maior. Hinc flumina eò rapidius fluunt, quò ex altiori decurrunt loco: Ita vt ſi in ſpatio mille paſſuum ſit ſex pedibus altius emiſſatio, reddatur fluuius innauigabilis propter nimiam fluxus velocitatem: veluti Rhodanus *in Valeſia*. Et hinc ſi quis ſciat v.g. quot pedes alueus Rheni ſit depreſſior per ſpatium millenorum paſſuum, facile colliget quot millenis vel centenis pedibus Lepontij qui alpes inhabitant, vbi oritur Rhenus ex gemino fonte, remotiores ſint à centro terræ, quam Bataui, apud quos ſe exonerat in Oceanum. Ponamus illum protendi in longitudinem ſexcenta millia paſſuum, & ad ſingula millia alueum ſubſidere ad tres pedes; remotiores erunt Lipontij Batauis à centro terræ 1800. pedes.

PROBLEMA XLVI.

Vt quis eſum ouorum auerſetur.

Gracu-

GRaculus eſuriens in cælum iuſſeris, ibit. Eiuſcemodi alicui appone oua plurima & ſola, ijſque ſe aliquoties ingurgitet: experieris illum poſtea, ſi prius oua lubenter comederit, ad eorum eſum nauſeare, niſi diuturnior fames ſtomachum egregie expurgauerit. Ratio iſtius, quia oua viſco quodam parietes ſtomachi & orificium inficiunt, diutiusque adhęrent, vnde comeſtorem ouorum ſubit nauſea: quæ quamuis ſæpe reipſa tranſeat, vi imaginationis redit, dum oua denuo conſpiciuntur.

Si vero quis comedat oua bubonum, plures Phyſici ſcribunt eum perpetuam habiturum nauſeam à vino. Quod ſi fuerit verum, opportunum remedium vini vſu abutentibus.

PROBLEMA XLVII.

Remedium malorum præſtantiſsimum præſcribere, quo ipſe vti aliquando non poſſis.

PRoblema hoc fateor extra ſuum chorum ſaltat: ſed ideo Phyſicis admiſcui, quod hoc trimeſtri quo illa concinnaui, mihi multum exhauriendum fuit patientiæ, remedioque non parum indigebam. Atque ideo facilius alteri adhibere medicinam, quam ſumere; quia id ſani facimus, hoc non niſi ægroti: neque ita commode conſolationem admittimus, atq; alijs impertimur. Ignauum malorum alexi-

alexipharmacum, obliuio: illa ſiquidem dolori terga vertens, congredi cominus non audet; adeo illum vincere aut extinguere non ſufficit. Magnum, ſi vir cordatus id ab animo impetret, quod obliuio nihili quoſcunque caſus æſtimantibus elargitur. Amici, ſed oportuni, medentur multis; quemadmodum & tempus, quod omnia lenit. Mortui viuis, ſed eruditis & ſcientia rite vtentibus ſæpius ſolatio ſunt. Proſunt quoque honeſta exercitia, & adhortationes eorum, qui vere & ex animo miſerijs noſtris ingemiſcunt, recteque conſulunt. Obueniunt enim ſæpe talia, quæ & ſapientis cor conturbent, & ponant extra vſum rectæ rationis. Neque quiuis ſuæ ſortis & fortunæ faber eſt, vt edulcare vitam poſſit, curasque acerbas ſenſibus gubernare. Nec mediocriter dolorem eleuant, qui triſtiorem rerum ſuarum ſtatum in eiuſcemodi malis exponunt; veteraque ingerentes exempla, præſentia cum ijs conferunt, & liquido oſtendunt, quàm multos homines vel ex atrocioribus malis Diuina eruerit benignitas. Sed confligantem cum aduerſis nihil æque tranquillat, erigit, & ſerenat, ac attenta Dei rebus humanis numquam non interuenientis recordatio: ille enim ſolus laxas manus roborat, & genua debilia confirmat; educit per ignem, & per medias vndas ſalutis commonſtrat viam. Quod verò iſto remedio parabilius?

Non

Non obliuio, tempus, amici, libri, aut expenſi aliarum caſus, vel admiſſæ adhortationes. Validum cuique domi præſidium ſuppetit, atque id ſemper in promptu eſt: adſit modo voluntas & animi propoſitum. Id nos exemplo docet Rex Hebronæus, ille tot palmarum & triumphorum de aduerſitatibus Imperator, tot calamitatibus tantum-non oppreſſus. Pſalmo 76. fidenter ait, *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum.* Quid memoria paratius? Memor igitur eſto Dei tui, idque pro te paſſi & crucifixi, iniuſte accuſati & damnati; & dolorum mitigationem ſenties. O facilem & parabilem medicinam! ô admirabilem & numquam ſatis deprecabilem Dei benignitatem! Non enim deiectos animo tantummodo erigit, ſed delectatione perfundit. At quomodo mens, niſi recta, & nullius grauioris culpæ ſibi conſcia, meminiſſe Dei æquo iuſti ac clementis poteſt ſine horrore quodam & pudore? Illam igitur in primis expurga, & lacrymis dilue, natiuoque ſuo nitori, quantum fas eſt homini, reſtitue. Tum in memoriam tibi Deum Opt. Max. cæleſtem illum patrem reuoca: fac te nō amplius auerſetur ob ſcelera; quò filiali fiducia vere poſſis compellare patrem. At his paucis intermixtis redeo in orbitam, niſi quod omnium ſenſilium malorum maximum vocem timorem, cuius ſi intelligatur definitio,

vinci

vinci poteſt. Non eſt enim niſi futuri mali expectatio, animo veluti præſens repræſentata. Hunc igitur vt veluti potiorem moleſtiarum partem vincas, expecta euentus rerum, non illos præpropera tibi imaginatione repræſenta. In hunc effectum libet hîc aliarum animi paſſionum definitionesa dſcribere. Triſtitia igitur contractio ſpirituum à re non conueniente ad ſua principia. Mœror diuturna triſtitia: quaſi fatalis. Metus eſt dimiſſio animi propter expectationem futuri mali. Timor expectatio eorum cenſuræ, qui in dignitate ſunt conſtituti. Verecundia eſt magna opinio reprehenſionis. Pauor idem quod perculſio, cum animus quaſi verberatur imminentis mali opinione. Huius ſummum faſtigium eſſet conſternatio: quoties ex perculſione concidimus, & ſpe, & conſilijs abiectis: niſi atrocior eſſet exanimatio. Tremor & horror corporis affectus ſunt, ex affectibus animi pendentes. Iſthæc qui rite intelligit, habet vnde eiuſcemodi paſſionibus occurrere poſſit. Et quia homini nihil magis naturale quã Dei cultus & religio; hinc rebus aduerſis neque maius ſolatium, neque certius remedium Dei inuocatione.

PRO-

PROBLEMA XLVIII.

Plus vrinæ egerere quã potus vel cibi ſumpſeris.

ID eſt, ſi adhuc exorbitemus, multo plus querelarum effundere, quam iniuriæ ſuſtinueris. Sed ad propoſitum: Egires multo plus aquæ, quod nõ vni contingit, ſi ita corpus habeas diſpoſitum, vt aërem, qui continue illud occultis meatibus ſubit, atque in arterijs vbique continetur, in ſubſtantiam aqueam conuertat; illaque defluente alteri idem faciat atque multiplicet. Alioquin merito quæri poſſit à Phyſicis, vnde ſubſtantia aquea in maiore quantitate, quam aſſumptus cibus vel potus pręſtare potuerint? Inſumit v. g. quis quotidie in cibum & potum ſex libras, reddit decem vel plures. Vnde ille liquor? Dicamus ab aëre corpus arteriaſque continuo ſubeunte. Quemadmodum videmus loca concamerata & humida, ob modicum frigus, ſuperne aſſidue diſtillare guttulis quæ ex aëre aquieſcunt. Frigus igitur aërem in aqueum humorem denſat: vnde & corpora illa plus æquo ſint frigida oportet, quæ aërem mutant in humorem aquoſum, vt marmora & vitra.

* *
*

PROBLEMA XLIX.

Inter nauigandum haurire ex Oceano aquam dulcem.

HVic problemati vt reſpondeamus, præſupponendum ex principijs Phyſicæ, ſalſedinem non eſſe qualitatem aquæ vt ſic, nec illi immediate ſubiectari: illam ſed ineſſe & prouenire ab halitu, qui cum aquis Oceani confunditur & humectatur. Salſedo enim eſt ſapor: ſapor verò fit ex mixtura calidi, humidi, & ſicci; hasque qualtiates non tam aqua habet, quã exhalationes. Vnde quod mare ſit ſalſum non prouenit à natura ſiue qualitatibus aquæ, ſed ab exhalationibus aquæ permixtis. His ita poſitis, ſi ex oceano aquam velis haurire dulcem & puram, id eſt vere aquam, confice aliquid eiuſcemodi, quo illam ab exhalationibus diſcernere queas. Aiunt nonnulli id fieri ſi vas cereum in mare dimiſeris, vndiquaque bene obſtructum: tum aquam puram, relictis exhalationibus, ſe per poros qui ceræ inſunt inſinuare & paulatim irrepere in vas cereum; atq; aquã poculo eiuſcemodi incluſam eſſe potabilem. Facilior tamẽ modus eſt, ſi quis manipulum lanę ex naui in Oceanum dimittat, atque ex eo aquam exprimat. Illa dubio procul erit dulcis; eo quod facillime citiſſimeque aquam lana admittens, exhalationes quibus ſalſedo ineſt, excludat.

PRO-

PROBLEMA L.

Carnem reddere piſcilentam.

VEre magnus is mihi fuerit Thaumaturgus qui id poſſit. Habemus quidem hac de re multa diſputata problematice : ſed hoc vnum modo prænotamus in Prodromo, inualuiſſe olim opinionem apud nonnullos eſu altilium non magis ſolui ieiunium, quam piſcium: eo quod auium & piſcium communis ſit origo. Gen. 1. v. 20. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, volatile ſuper terram ſub firmamento cæli. Creauitq́; Deus Cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ, in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum.* Ecce piſces & aues ab omnipotente Deo formatæ ſunt ex aqua, veluti homo & quadrupedia ex terra. Et ſi aues phyſice conferamus cum piſcibus, inueniemus quod in quamplurimis inter ſe conueniant. Aues ſunt ouiparæ, ſimiliter piſces: Aues non fundunt aquam de cruribus ſiue mingunt, quamuis ſæpius bibant, ita nec piſces, nec veſicam habent : ſed vtraque animalia ſuperfluum humorem concoquunt intra ſe, auibus vertitur in plumas, piſcibus in ſquamas. Et quis negabit piſces non æque remigio pennarum volitare in ſuo elemento, atq; aues in aëre? Adde

quod, ſecundùm quoſdam modernos Philoſophos, non ſint niſi duo elementa, terra & aqua. Aërem ſtatuunt aquam rariorem, nec niſi accidentarie ab ea differre: ita vt aues & piſces eiuſdem quaſi naturę idem quoque elementum inhabitent. Vt mirum non ſit quibuſdam ad Oceanum locis, ex folijs in ipſum deciduis, certaque ſpecie gummi ex cortice arborum in aquam defluente, naſcantur anates volatiles, vèluti in terra ex ſordibus exurgunt mures quadrupedes. Quid? quod ſæpe vidimus piſces quaſi volantes in aëre, & ſuprema radentes Oceani: viceque verſa, olores, anſeres, onocrotalos, anates, mergos, infinitamque auium multitudinem aſſidue hærere in aquis tamquam elemento naturali, quo æque difficulter careant atque ipſa terra. Vide hac de re, ſi vacat, Franciſcum Valeſium in Philoſophia ſacra, ad ſupra citatum locum Geneſeos: mihi modo non eſt ad manum. Porro quod quidam olim crediderint eſu auium non ſolui ieiunia, teſtis mihi Socrates *lib.5.Hiſt. cap.21.* Horum ſententiam fortaſſis ſecutus eſt S. Benedictus, qui ſuis ſequacibus, quos aſſidue abſtinere volebat, eſu quatrupedum interdixit, auium conceſſit. Fructuoſ. *in Regul. Monachorum.* At reclamabunt Benedictini reformati, qui non veſcuntur niſi piſcilentis cibis, negabuntque eam mentem fuiſſe ſanctiſſimi ſui Legislatoris: interque cetera

dicent, Eſum auium, quam quadrupedum eſſe lautiorem. Quibuſdam fateor, at non promiſcue omnibus: vti non pauci piſces cuiuis edulio ex carnibus præferunt. Romanis ſummæ lautitiæ, & maxime dapſile ferculum erant piſces. Certe ſi quis aſſidue obſonetur, auesque comedat, nulla vmquam intermixta carne quadrupedum, breui redigetur ad nauſeam, quod ſit in quolibet ciborum genere, quibus à teneris non aſſueuimus. At ego cum nemine controuerſiam volo: ſit ſuum cuique pulchrum. Iſthæc dumtaxat problematice, & dicis cauſa propoſui.

Ceterum, cum anima animalium ſit in ſanguine: ideoque tam diu piſces, & ſectæ anguillæ mouentur, quoad ſingulæ partes ſuo fuerint deſtitutæ ſanguine: certiſſimum eſt, volucres à piſcibus diſtingui forma ſubſtantiali, totaq; differre ſpecie, quinimo genere: auium ſiquidem, vti & quadrupedum, ſanguis eſt calidus; piſcium frigidus. In quo differentia ſubſtantiæ vtrorumque animalium conſiſtit: ita vt omnia illa accenſeantur piſcibus, quæ ſunt ſanguine frigido; vt lutra, Belgis ein Otter/licet ſit animal quadrupes, piloſum, oſſibus lepori haud abſimile. Noui qui ſe crederét comediſſe de artocrea, cũ apud Carthuſianos guſtaſſent de lutra. Anates quoque marini, de quibus ſupra, cum ſint ſanguine frigido, comeduntur ferijs piſcilentis.

 Quo-

Quorumcumque vero animalium ſanguis calet, eorum tantum eſus prohibetur ab Eccleſia certis anni temporibus.

PROBLEMA LI.

Quomodo obuiandum procellis, ne noceant.

PRocellæ craſſiore, quàm fulmina, ſpiritu, non ita penetrant, ſed frangunt potius, turbant & deijciunt. Turbo præterea rapida vertigine locum ex loco mutans, ait Plinius, nauigia contorta frangit; & repercuſſus, correpta ſecum in cælum refert, & ſorbet in excelſum. Quomodo forte olim abreptus vitulus, quem repluiſſe narrat Auicenna. Nimis enim vitulus ſit, qui putaret in nubibus natum, veluti ibi forte naſcuntur ranæ. Compeſcitur, inquit Plinius, turbo facili remedio, infuſo in aduenientem aceto, cui eſt frigidiſſima natura. Nautæ in noſtro Oceano potentiori & tutiori vtuntur remedio: tormenta enim in aduentantem explodunt, vt globo & aëris impulſu, exhalationem diſſipent. Ita etiam vtiliſſimum contra procellas pulſare campanas, & aërem impellere. Torquet quidem & circinat ſe ille turbo per ſuperficiem maris, idque longiſſime; & aliquando circa turres eminentiores: ſpeciemque refert aliquot modiorum calcis ſoluentis ſe & abieuntis in fumos. Vnde homines ſimplicio-

pliciores putant aliquem inhabitare dæmonē, qui omnia animet & ludat hiſtrioniam. Cum tamē ſæpe fruſtra adhibeantur exorciſmi, quod portenta ſint à cauſa naturali; nec opus contra malignos effectus niſi remedio naturali tempeſtiue adhibito.

PROBLEMA LII.

Certiſſimo indicio inuenire Mare.

CVm Sapiens dicat omnia flumina intrare in mare, nec tamen illud exundare, quia occultis terræ meatibus aqua marina rurſus abſorbetur, vt iterum fluat: nemo certiore indicio deprehendere poteſt mare, quam ſi ductum ſequatur cuiuscumque fluminis, illud tandem ſe in Oceanum, aut aliud mare exonerabit. Ratio Phyſica; quia centro terræ vicinior congregatio aquarum, quam vllius fluuij.

PROBLEMA LIII.

Filo ſerico irreparabile pondus adimere.

CVra torqueri ſiue filari recens ab Italia aut Turcia ſericum ponderis v. g. vnius vel plurium librarum: da tinctoribus tingendum menſe Martio, inuenies poſtea ſi eodem ſiccatum fuerit, ſingulas libras duabus circiter vnceis leuiores. Id expertus cum damno Antuer-

piæ didici. At quæ huius thaumatis ratio ? ſine dubio phyſica, ſed occulta. Dicam quæ mihi ocrurrat: Cum ſericum hieme, quantumuis ſiccum, circumfuſum hiemalem aërem hauriat, & occulti aliquid humoris imbibat, fit quàm æſtate ponderoſius, vnde ſi menſe Martio tingatur, & rurſus exſiccetur, aliquid iſtius contagionis hiemalis deperdit, quod cum Sol ſit valde actiuus ad exſiccandum. Sed mirum, id reliquis æſtatis menſibus non fieri, ſed dumtaxat Martio, quaſi ille quid martiale, deuorans & abſumens habeat præ reliquis. Ratio, quia ſericum etiam citra tincturam tum excoctum & probe ſiccatum deperdere de pondere ſuo non poteſt vltra Martium. Vnde ſi tingendam libram ſerici poſtea dederis, libram recipies: ſi ſtatim poſt hiemem menſe Martio; recipies duas circiter vncias minus. Sol namque tam actiuus eſt, vt ſi nummos aureos vel argenteos diu inſolaueris, inuenias imminuti ponderis.

PROBLEMA LIV.

Remedium phyſicum ad comprimendos indebitos carnis motus,

POſteaquam homo Deo in paradiſo obedire noluit, obedientiam inferiorum membrorum ſua inobedientia in ſe perdidit, vt genitalia membra iam non amplius volun-

voluntate moueantur, ſed ſola incitentur libidine & concupiſcentia. Hinc fit, indebitos motus vt ſæpe ſentiamus vel inuiti: quos tamen compeſcere non fuerit impoſſibile, ne quidem difficile, ſi mens immota maneat, conſtansque in auerſione ab illicitis perſeueret. Phyſica enim tantum commotio facile phyſico aliquo remedio expellitur & ſedatur. Si v. gr, ex doctrina Plutarchi *lib. de virtute morum*, commotus matrem aut ſororem cogites, quas tangi vetat & lex, & ratio; hincque pudendorum fuga & receſſus. Tum enim ſe contrahit cupiditas, & inhorret, corpusque partes ſuas conſentientes cum iudicio præbet. Veluti nonnulli, cum cibos atque obſonia appetunt, ſi cogitent illa impura & neſcio quas in ſe ſordes continere, appetitum non modo extingunt, ſed ad nauſeam & vomitionem adiguntur. Cui hoc remedium philoſophicum minus ſuccedit, adhibeat vel Benedicti vepres, vel Franciſci niues, aut frigidam Ignatij, flammamq; candelæ. Cauendum, ex præcepto Hieronymi, ab omni cruditate ſtomachi. & per conſequens à nimio aquæ potu: quia nihil æque emortua quaſi membra reſuſcitat & mouet, atque cruditates, & flatulenta.

***

PROBLEMA LV.

Vt maſſa terræ expreſſâ aquâ, cui commiſcebatur, fiat grauior.

COque lateres, id deprehendes veriſſimum. Later enim tantum ſiccatus ad Solem notabiliter eſt leuior, quam coctus igne; & tamen minus aquæ tum admixtum habet, vt quam ignis abſumpſerit: videmusque crudos adhuc lateres parum vel nihil aquæ attrahere ſi admoueantur, coctos vero plurimum. Cauſa iſtius, inquit Cardanus, eſſe poteſt, quod lateres vbi fiunt, exſiccentur in Sole, concipiantque non parum aëris, qui intro delitens multo eos leuiores facit, quàm cum excoquuntur igne. Quos ſi diutius quam par eſt in fornace relinquas, colorem mutant, fiuntque ferro quam terræ ſimiliores. quid ſi dicamus eos cum colore grauitatem quoque ferri induere? certe nihil videbitur abſurdum. Terra enim metallicum quid continet, quoque propius ad illud accedit, tanto magis qualitates eius, & pręcipue grauitatem induit. Videmus enim lateres ſi diutiſſime coquantur criſpari & inſtar ferri inflecti, quamuis ceteras qualitates ferri non obtineant, propter nimiam admixtam terræ portionem.

A ſpiritibus quoque animalibus eſt, qui in ieiuno

ieiuno homine quaſi ſopiti iacent, ſumpto cibo excitantur, quod homo ieiunus ponderoſior ſit, quam vbi commederit. Dormienſque plus ponderat, quam vigilans; mortuus, quam viuus, quod tum nullum intra ſe aërem, vel ſpiritum contineat, qui alleuiare ſolent.

PROBLEMA LVI.

Aquâ ignem accendere.

PRo comperto & indubitato habeo, lapides dum coquuntur in calcem intra ſe ignem concipere, & tam diu retinere dum affuſâ extinguatur aquâ: qui ignis eſt calcis quaſi anima. Quamdiu enim ille extinctus non fuerit, calx vocatur viua; illo depulſo, mortua. Quomodo autem ignis formam ſuam lapidi communicet Auguſtinus *lib. 21. de ciuit. cap. 4.* habet vnum ex naturæ, vt ita dicam, miriſſimis: certum tamen eſt fieri, quamuis latentem in calce ignẽ nullo ſenſu percipere poſſimus, quin contrà ſentitur calx in manu frigida ad inſtar lapidis. Si tamen ignem illum accendere velis, affunde frigidam: quod ſi nocte feceris in tenebris, videbis erumpentes ſcintillas, adeoque ardere calcem, vt in ea coquere poſſis oua: ſed quæ ego guſtare nolim ob grauiolentiam, & malignum, quem à calce habent calorem. putamina enim nimio, ſed latente igne exuruntur.

& calcis qualitas penetrat ipſam ouorum carnem. Prô! quantum naturæ thauma! quale portentum! ignem aquâ accendere. Quod ſi quis exhibeat ijs in regionibus, vbi calx ignota, & numquam viſa, pro quanto miraculo reputabitur. Nobis ob aſſiduitatem quaſi viluit, nec credimus aliquid miri eſſe. Auguſtinus inter maxima naturæ arcana recenſet. Quem velim audias. Intueamur, inquit, etiam miraculum calcis, excepto eo, quod igne candeſcat, quo alia tetra redduntur, etiam occultiſſime ab igne ignem concipit. Eumque iam gleba tangentibus frigida tam latenter ſeruat, vt nulli noſtro ſenſui appareat; ſed compertus experimento, etiam dum non apparet, ſciatur ineſſe ſopitus. Propter quod eam calcem viuam loquimur, velut ipſe ignis latens anima ſit inuiſibilis viſibilis corporis. Iam vero quam mirum eſt, quod cum extinguitur, tunc accenditur? Vt enim occulto igne careat, aquæ infunditur, aquâue perfunditur: & cum ante ſit frigida, inde ferueſcit, vnde feruentia contrà frigeſcunt. Velut expirante ergo illa gleba diſcedens ignis, qui latebat, apparet; ac deinde tamquam morte ſic frigida eſt, vt adiecta aqua non ſit arſura, & quam calcem vocabamus viuã, vocemus extinctam. Quid eſt quod huic miraculo addi poſſe videatur? & tamen additur. Nam ſi non adhibeas aquam, ſed oleum, quod magis fomes eſt ignis,
nulla

nulla eius perfuſione vel infuſione ferueſcit. Phyſici moderni pro ratione recurrunt ad antiperiſtaſin. Hoc miraculum ſi de aliquo Indico lapide legeremus, ſiue audiremus, & in noſtrum experimentum venire non poſſet, profecto aut mendacium putaremus, aut certe granditer miraremur. Quarum vero rerum ante oculos noſtros quotidiana documenta verſantur, non genere minus mirabili, ſed ipſa aſſiduitate vileſcunt, ita vt ex ipſa India, quæ remota eſt pars orbis à nobis, deſierimus nonnulla mirari, quæ ad nos potuerunt miranda perduci. Quæ vero mira de calce diximus, ſi quis nimis rigidus exactor eorum rationum velit, reſpondebimus eam nos dare non poſſe, quod iſtis & ſimilibus Dei miris operibus infirma mortalium vincatur ratiocinatio: bonumque ſit intellectum noſtrum hîc vinci, quo facilius arcanis fidei myſterijs acquieſcat, quorum rationes perſcrutari non poteſt.

PROBLEMA LVII.

Vt quis numquam mane poſt ſomnum ſitiat.

DE hominibus ſanis loquor: ægroti enim plerumque à ſomno ſitiunt, quod experientia didici; cauſam relinquo Medicis. Homo igitur ſanus ſitim patitur vel ob ſiccitatem, id eſt defectu humidi; vel ob calorem:

cem: vnde omnia ſalſa, acerbæ herbæ, aromata, vtpote calida, ſitim prouitant. Si igitur ſitim mediocrem patiaris à calore, illam vigilia vinces; ſin à ſiccitate, ſomno. Vnde numquam mane ſitim ſenties, ſi moderate cœnatus concedas cubitum, etiamſi veſperi & lecto vicinus nonnihil ſitim ſentias, ſiccumque habeas os. Præſtat ita ire cubitum, quàm bibere. Nox enim humida frigidum aërem inſpirat, & humor qui in corpore quaſi ſopitus iacet, per quietem membrorum, ſe exporrigit, ſitimque extingit nobis nihil ſentientibus; maneque ſurgimus humido ore, & omnis ſitis expertes. Id Studioſis non ignorare, erit fortaſſis vſui, vt diutius bonam valetudinem conſeruent.

PROBLEMA LVIII.

Parare lampadem quæ numquam ſit emungenda.

SI fuerit verum, quod ſcribit Noſtradamus, poſſe alumen plumæ ſecari in modum ellychnij, illudque immiſſum oleo ardere inſtar goſſipij, nec conſumi. Certe commodiſſima lampas inſtrui poſſit ſtudioſis, vt integram olei menſuram abſumant, nec vel ſemel emungenda ſit lampas. Alumen quidem viſcoſum eſt, & ignem concipit; at dubito, vtrum affu-

affuſo oleo ſic ali poſſit, vt ipſum non abſumatur alumen. Non eſt experientia difficile, probatúmque erit inſtar miraculi.

PROBLEMA LIX.

Vt tenuiſſimum filum igni iniectum non comburatur.

ID facies, ſi ouo aliquoties circumligaueris filum, licet ſiccum. Proijce ouum ita circumligatum vel in prunas, vel tene in flamma, & non comburetur filum. Ratio, quia non fit ignis, niſi calor ad octo, vt loquimur in ſcholis, id eſt ad ſummum quo venire poteſt, intendatur. Prohibetur vero ignis ab ouo, ne in gradu ſufficienter intenſo caloris agere poſſit in filum, quia ouum comburi aliquamdiu non poteſt, & ita filum frigefacit: quod enim non comburitur, aliquam ſemper refrigerandi vim habet illius, quod maxime eſt calidum.

PROBLEMA LX.

Aquam vino admixtam ſecernere.

SAtis notabilis inter Theologos agitatur quæſtio: An aqua in modica quantitate vino in calice mixta, materia ſit conſecrationis. Certum ſiquidem eſt, aquam puram & à vino remotam nullatenus eſſe; iamque olim Aquarios damnatos hęreſeos, qui id docebant.

Non

Non pauci tenent aquam in calice vino probè permixtam in tenuiſſima quantitate vnà cum vino transſubſtantiari in ſanguinem Dominicum, eo quod in Sacramento calicis poſt conſecrationem nihil ſubſtantiæ remaneat,ſed tantum mera accidentia; neque dici debere, vnà cum ſanguine ſumi qualemcunque aquæ ſubſtantiam, &c. Alij contra vt has difficultates euadant,aſſerunt aquam,priuſquam conſecrari poſſit, debere tranſire in ſubſtantiam vini, imò de facto vinum fieri. Quod tamen quomodo fiat non video niſi forte per miraculum: cum ex ſolida ratione phyſica conſtet, vinum & aquam miſceri ita non poſſe, vt alterutra res ſuam amittat eſſentiam, quamuis deſtrui videatur. Non enim aqua & vinum magis vnũ fiunt, cum vtraque res formam ſuam retineat, aggregatione liquidorum, quàm aceruus hordei & tritici. Quæ tamen differunt, propterea quod in liquidis nihil intercedat: in ſiccis aër. Neutraque vnum vocari poſſint ab vnitate formæ. Deinde illa nõ miſcentur mixtione proprie dicta, quæ ab inuicem ſeparari poſſunt, talia ſunt vinum & aqua,ergo. Probatur minor, quia ſi quis amphoræ vini v. g. calicem aquæ affundat, ponatq; in orificio amphoræ particulam panni lanei, ſinatque vna parte dependere extra amphoram, ita vt altera pars vino notabiliter immergatur: ille pannus ex amphora foras educet

cet quidquid eſt humoris aquei, vinumque in amphora relinquet: quod vinum ſit viſcoſum & tenacius, aqua diluta facileque ſequatur ductum. Præter hunc modum ſeparandi aquam à vino plures ſunt apud Chimicos & Phyſicos. Nos hunc facilem adducimus, quem experientia probauit, non quò lumen aliquod mutuemur Theologis, ſed Thaumaturgo noſtro præluceamus experimenti exemplo.

PROBLEMA LXI.

Feſtiuum & lepidum conuiuium apparare Venatoribus.

APpone carnes, ſuillam, vitulinam, ouinam; toſtam, aſſam, lixam, frixam. Abunde erit, ni fallor, illis à longa venatione bene famentibus; qui famen in agris & erycetis certo rnueniunt, eſcas venantur apud amicos in ædibus. Sed cum lepore vt id facias (leporem enim ſi apprehenderint ipſi adferent) inſtrue menſam capite porcelli diſſecto, aliquot capitellis ouium & vitulorum; adijce pedunculos; & omnia coque diuerſimode. Eſca erit palato grariſſima, quamuis non magni pretij: canesque habebunt maximam cœnæ partem, oſſa nempe innumera. Cum enim immodici illi venatores canes ſuos, illamque tam diſpendioſam voluptatem plus quandoq; amare videantur,

tur, quam coniugem vel liberos, imò quam ſeipſos: ſi quis eos ſibi demereri velit,æquum eſt vt potiorem canum, quam dominorum rationem habeat. Quique venationi poſtponunt omnia ſeria; curam domus, honeſtarum artium ſtudia, ſpem lucri, gloriam armorum, quodque omnium eſt præſtantiſſimum, temporis vitæ ſuæ optimam partem, longe videntur digniſſimi cœna tali venatica, cum ſit canina.

PROBLEMA LXII.

Spectrum denſa nocte exhibere innoxium.

ASſeuerauit mihi, in Flandria cum eſſem, Sacrificulus, homo mire ſimplex, ſe vidiſſe in lecto iacentem ſpectrum horrendum, ingens, ea nocte cuius poſtridie eum viſitabam. Inquiſiui à domeſticis, quidnam rei accidiſſet? reſpōdit Vir nobilis, ſe edidiſſe hunc ludum. Bibebamus veſperi, inquit, vinum ardens ſiue aduſtum, largiter ſaccaratum; cumq; bonus ille Sacerdos plus iuſto biberet, pollicitus ſum illi, quò eum ab eiuſcemodi largiori potu abducerem, vinum iſtud effecturum vt nocte ſpectrum videat. Ille me irriſo duplicauit hauſtus, atque ita nobis ſalutatis conceſſit cubitum. Poſt horæ mediæ ſpatium, cum iam vigilias inter & ſomnum ageret, conſcendi ipſius cubiculum; vinumque ardens ſuper prunas tepefa-

pefa-

peſactum accendi ſulphurato, atque meipſum in cæſio & tetro lumine contemplandum exhibui, ſtetique ante lectum aliquamdiu immotus. Ille Dei. Diuorumque opem voce qua potuit inclamare cœpit, ſudoreque perfundi: caputque intra lintea abſcondit. Ego pedem illico retuli tam modeſte vt fraudem non perceperit. Atque ex hoc ſpero, emendabit ſe à nimio potu brandiuini. Tu caue factum reueles, quin potius dicito pœnam peccati. Sunt qui idem moliantur accenſo ſulphure, at fœtor nimis intolerabilis. Lepidiſſime ludi poteſt hæc fabula flammâ vini ardentis bene ſaccarati. Similis enim ſui coloris vultus exhibet, nempe luridos & horrentes: veluti lux Solis omnia illuſtrat & nitore perfundit.

PROBLEMA LXIII.

Pyrium puluerem cultro accendere.

CVm calor ad ſummum venerit, fit ignis. Acue igitur cultrum in tabula lignea bene dura, interſparſa arena fluuiatili ſiue aſpera cum puluere tormentario. Iterata illa affricatione tantum culter calorem concipiet vt ſcintillas eiaculetur, quæ puluerem contingentes incendant.

PROBLEMA LXIV.

Ouum recens intra paucos dies putrefacere.

QVam neceſſaria ſit non modo viuentibus crebra aëris mutatio, quò melius reſpirent; ſed omnibus omnino rebus corruptioni obnoxijs inde patet, quia aër vitam alit & conſeruat. Hinc ſi ouum, etiam recenter excluſum, recondatur intra mundiſſimam arcam, nouusque excludatur aër, intra triduum vel forte citius emorietur, & putreſcet; quod durare poterat comeſtibile, nulla adhibita arte, ad menſes tres & vltra. Alioquin ſi ponantur oua erecta in cineribus vel furfuribus, vt non exhauriantur, & non detur periculum ab aëre introëunte corticem, conſeruari poſſunt ad annum. Emorietur, dico, ouum, quia pullificum vita viuit, potentialiter: ita vt, ſi poſt quadrageſimum excluſionis ſuæ diem ſupponatur gallinæ incubanti, deſinat eſſe fetum ſiue pullificum. quot diebus ex Medicis aſſerunt fieri embrionem in corpore humano, qui non poteſt quin aliqua vita viuat. Vnde ruſtici non vetera oua, ſed recentiſſima ſupponunt.

Propter allegatã cauſam nec piſces in aqua, proprio ſibi elemento, viuere poſſunt, niſi & ipſis aſſidue mutetur aër, quemadmodum ceteris extra aquam degentibus animalibus. Si

enim

enim vndiquaque glacie obturetur viuarium, omnes in eo degentes morientur ſolo defectu noui aëris: neque enim infra glaciem datur vacuum. Vnde hiemis tempore, oportet in piſcinis, & lacubus glaciem pertundere, quo piſces reſpirent; vel oleum viuario infundere, aut inijcere ſtramen. Oleum poroſum eſt etiamſi cõgeletur; ſtramen meatus habet. Vidi ſæpe carpiones in viuarijs ſupremis dorſi ſpinis glaciei adhærentes & emortuos, quod tempeſtiue nulla data fuiſſet apertura, quamuis infra glaciem eſſet aqua ad pedes decem. Quia carpiones quaſi ſuffocati ferebantur è fundo ſurſum, vt captarent aërem, quē dum diutius fruſtra quærunt, illaqueantur vi frigoris, & congelantur. Hæc ignorare neminem conuenit, qui rei œconomicæ curam habeat. Et, numquid hæc ignorantibus ſunt thaumata, tot piſcium occurrere mortibus?

PROBLEMA LXV.

Salubriorem potu aquam ſeligere.

CVm Plinius, accuratus naturæ inueſtigator, dicat *lib. 31. cap. 3.* illam aquam eſſe ſaluberrimã, quæ aëri ſimillima ſit: conſequens eſt vt vſui noſtro talem requiramus, quæ aëris qualitatibus ſe commendet, id eſt pelluciditate & leuitate, quæque libera ſit ab omni grauio-

lentia & noxio ſapore: veluti aër in ſe nec odorem nec ſaporem continet. Dixi grauiolentia, & ſapore noxio: quia ſi is à cauſa bona, vti in fontibus ſpadanis & alijs acidulis, prodeſt potius, quum obeſt. Salubrior igitur aqua in primis debet eſſe inſipida & inodora, quia illæ qualitates aquæ ſunt prorſus externæ & aduentitiæ, virtutemque ſuam aliunde deſumptam aquæ imprimunt. Deinde aqua commendari debet à pelluciditate & leuitate: quia ſi ſit pellucida, patet quod ſit maxime ſincera & impermixta. exhalationum quippe & ceterorum opacorum mixtura claritatem illam interpellat. Impermixta vero eſſe non poteſt, quamuis clara, ſi ſit ſapida vel odorata, quia neutrum aqua ex natura habet, vtpote corpus ſimplex, ſed illi aliunde aduenit. Altera dos ſalubrioris eſt leuitas, quæ inde illi accidit quod ſit rarior: raritas autem eſt qualitas aquæ prima, à qua maxime redditur commendabilis.

At iam quæritur, Quænam propius ad aërem accedat, eſtque clariſſima & leuiſſima? Ego problematice ſuſtineo, aquam pluuialem, ſed rite apparatam. Cæleſtis enim aqua eſt ceteris leuior & tenuior, quia ex leui nubium vapore, & paulo ante pendulo in aëre, ſubito & celeriter condenſatur, habetque in ſe plurimas exhalationes, quæ leuitatem cauſant. Verum quidem eſt, quod propter earum permixtionē,

aquæ

aquæ illæ cito putreſcant, & aliquantam inde noxam trahunt: vnde dixi aquam pluuialem eſſe vſu ſaluberrimam, non vt è cælo in ciſternas decidit, ſed rite præparatam, id eſt à noxijs exhalationibus diſcretam, & contra putrefactionem quaſi ſalitam. Talem bibi apud RR. PP. Minimos in Francia. Foderant altiſſimũ puteum in medio periſtylij ſiue clauſtri vt vocant, quem inferne ſternunt ſolido lapide & gypſo; deinde ſuperaddunt lateres, ſed ab inuicem digito diſcretos, vt aqua poſſit commode penetrare: ſic deducunt puteum ad aliquam altitudinem; deinde arte ſolita ædificant ad terræ ſuperficiem. Mox egerunt omnem terram quæ eſt circa puteum; incruſtantque totam planitiem gypſo, ita vt ex quatuor lateribus vno aut altero pede ipſo centro eminentioribus omnis aqua pluuialis delabatur per relicta in imo fundamenti foramina. Tum vero replent totum quadrangulum arena marina quam poſſunt habere, groſſiſſimâ, & pleroſque Monaſterij canales eo deriuant, vt intra quatuor illos muros ſe exonerent. Et hoc pacto aqua pluuialis per magnã ſatis arenæ molem paulatim penetrans expurgatur noxijs exhalationibus, nec vmquam putreſcit. Quod nemini mirum videbitur, ſi cogitet aquam in puteis mari vicinis eſſe dulciſſimam, etiamſi ab illo ſit: quia decurſu per arenam dulceſcit & craſſitiem ſuam, cui ſalſedo ineſt, exuit.

Poſt pluuialem ſtatuo fontanam vel fluuialem, quæ ſit ceteris leuior, quamuis non æque limpida. Vnde Gandaui aquam Schaldis præferunt Liſæ, qui fluuij ibidem confluunt, quamuis Liſa Schalde ſit multo limpidior, quia Schaldis leuitate præſtat, prout experientia didici. Ponderaui æqualem menſuram aqua ex vtroque fluuio hauſta plenam; illa ex Liſa præponderabat duabus vnceis. Vnde ex limpiditate certo ſtatuere non poſſumus de leuitate: & ſæpe fit vt limpidi fontes & fluuioli aliquid labris ſuis & alueolis allinant, aut muſco inueſtiant: quod illos alicuius impuritatis arguit, etiamſi oculis ſtatim non ſentiatur. Non nego tamen illam aquam ratam, quæ ſpeciem corporis ſubmerſi v. g. lapidis aut cultri, minime inflat & refringit; ſed eiuſdem figuræ & molis apparet, quâ in aêre. Et hæc prima ratio explorandi aquam, an ſit leuis.

Hippocrates dicit tenuem & laudabilem, quæ igni prompte obedit, citoq; caleſit, atque celeriter poſtea deponit calorem. Quæ enim corpulentiores ſunt aquæ, frigus pertinacius retinent; vbi incaluerint, ſegnius ad naturalem rigorem redeunt, calore contumacius hærente in denſitate illa. Palladius eas aquas tenues & leues cenſet, ex quarum potu incolæ bene valent, & diu viuunt.

Pondere præterea, idque certiſſime deprehendi-

henditur denſitas vel tenuitas aquæ: quod factu facillimum. Sic Athenæus deprehendit Pirenen, fontem Muſis ſacrũ, omnium qui in Gręcia, tenuiſſimum & leuiſſimum. Qua vero de cauſa ille Muſis conſecratus ſit explicent alij, quamuis nobis rationes non deſint; cum Horatius tam præclarè Muſis operatus dicat:

Nulla valere diu nec viuere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Vtrum vero flumina rapidiora, & ſcopulis illiſa, plurimiſque impedita ſaxis laudabiliores & ſaniores exhibeant aquas, dubito: quod obſtaculis & repercuſſione tenuitas illis dari nõ poſſit, cum in denſitatem aquis inſitam obſtacula & repercuſſio non agant. Alioquin quauis alia agitatioue quæuis aqua poſſit fieri tenuiſſima, & conſequenter ſaluberrima, quod mihi ratio non ſuadet.

Inſaluberrima cenſetur niualis, quia valde inquinata: quod terreſtre illud, quod in ea ſubſidit, planiſſime indicat. Et quamuis aliqui putent frigore exprimi malignos halitus, quando vapor gelatur in nubem non exprimuntur; ſed includuntur potius, & in eoſdem floccos cum vapore alligantur. Peſſime ſibi conſulunt qui bibunt aquam è niue. De aqua è glacie, dubito: cum illa non niſi ex ſumma & tenuiſſima parte congeletur, quemadmodum & puriſſima, vt ex glacie apparet; eoquod quidquid eſt

fæculentum & terreſtre, ſubſidat. Moueor tamen auctoritate Ariſtotelis, vt nemini ſuadeam vino permiſcere glaciem quantumuis puram & pellucidam ad refrigerandú; quia exhalationes aſſidue ex aëre in terram & aquam ſubſidentes, circa ſupremã aquæ, vt ita dicam, cutem hærent, eiq; ita tenaciter permiſcentur, vt in aqua etiam glaciata perſeuerent; nec illa bibi poſſit niſi cũ exhalationibus, vt plurimum noxijs.

PROBLEMA LXVI.

Aquam æſtate congelare.

ILlud vt poſſis, neceſſe adſit nix ab hieme pręterita, quã facile eſt aſſeruare in locis ſubterraneis. Sume aliquantum illius in ſcutella argentea aut ſtannea admiſce fere tantundem ſalis; eamq; vitro aqua pleno ſuperponito: illico congelabitur. Ratio eſt ab intenſo niuis frigore & actiuitate, quod per antiperiſtaſin intenditur, dum calor aduenit ſalis: qui pigritiem frigoris tum ſuſcitat, & ad fortiſſime agendum impellit.

PROBLEMA LXVII.

Nationi Poëtarum ſua aßignare Inſignia.

QVæ Ariſtoteles, Æljanus, alijque plures memoriæ produnt de Cygno; ita per omnia conueniunt Nationi Poëtarum, vt nullum

alti-

altilium genus, reptilium, aut quadrupedum naturam eorum exprimat euidentius; vt non ſine magno rationum præſidio ipſa Poëſis Cygnum pro ſymbolo ſiue inſigni præferat. Cygnus, inquit Ariſtoteles, pulchram multamque prolem progignit. Quid venuſtius, quid copioſius eleganiusque prolibus Poëtarum, id eſt ſuauiſſimis & ſenſu fecundis carminibus? qualia Virgilij, Homeri, Ouidij, Horatij & eiuſcemodi illuſtrium animarum. Quid illis vel ad docendum, vel delectandum, animosque commouendum deeſt?

Cygnus deinde iracundiæ obnoxius. hinc ſæpe fit vt ira commotæ candidiſſimæ alites ſanguinem cient, commiſſaque pugna ſe mutuo perimant. Videſis Poëtis bilem ne moueas; vnum vnicum verbum in ſe iactatū durius mille vindicabunt verſibus, candidum alioquin & innocentiſſimum genus hominum. Væ ijs, qui iuſtam eorum iram promeruerint. Quamuis non raro etiam inter ſe digladientur ſtilo, ſeq; inuicem aculeis perſtringant. Socrates monere erat ſolitus, vt, ſi cui fama maximè curæ, illamq; ſeruatam velit, quam ſtudioſiſſime caueat, ne quem Poëtam faciat ſibi inimicum: quod feruens illa natio magnā quidem in laudando vim habeat & energiam; at longe maiorem efficacioremque in vituperando & maledicendo.

Præcipue tamen Cygni cum Aquilis bellum

gerunt: verum vt iniuriam potius à ſe propulſent, quam vt inferant. Quod vel maxime Poëtis conuenit; qui nõ niſi prius læſi lædere haud quemquam ſolent: neque dicis cauſa tantummodo gaudent maledicere. Sed impatientiſſimi ſunt iniuriæ, etiam minimæ. Hinc cum Minos rex iuſtiſſimus bellum Athenienſibus intuliſſet, horrendo vapulauit à Poëtis Tragicis; atque ad ipſos inferos relegatus eſt.

Cygni quoque feruntur cantandi ſtudioſi; & nemo licet eos vmquam cantantes audierit, creduntur tamen canere: & tunc potiſſimum aiunt, præcipue Poëtæ, eorum cantum ſuauiſſimum & eſſe iucundiſſimum, cum ad vitæ metam ſteterint. Et quia Poëtæ Odas ſcribunt; ſolebantque olim carmina cani ad tibias, vel ea maxime de cauſa Inſigne Cygni Poëtis adtributum. De Hipparcho Piſiſtrati filio ſcribit Ælianus *lib. 8. variar. cap. 2.* quod cum eſſet maximus natu inter ſuos fratres, omnium Athenienſium erat ſapientiſſimus; & Homeri carmina primus attulit Athenas, coëgitque Rapſodos in panathenæis ſiue communi Græcorum conuentu canere.

Adhæc Cygni pelagus traiiciunt, & per mare volant indefeſſo alarum remigio. Poëtæ enthuſiaſmo abtepti feruntur per Superos, Medioxumos, & Inſimos; omnia terrarum & pelagi permeant ſpatia; atque vbique inueniunt quod ſcri-

ſcribant. Niſi malis eos remigio pennarum, id eſt ingenij & ſtyli ferri in omnes orbis habitabilis plagas; maria, montes, ſiluasque, & flumina peruadere; cum vbique terrarum eorum vigeat memoria. Certe digni qui Cygnum pro inſignibus vſurpent ad commendationem nobilitatis ingenij.

PROBLEMA LXVIII.

Ex nubibus volantibus prædicere pluuiam.

MVlti ex opilionibus id nouerunt, quamuis ignorent rationem phyſicam, quod obſeruent nubes ab Aquilonari vento conuectas & propulſas ad Auſtrum, cum ab eodem reducuntur, vel potius repelluntur, eò vnde prouenerint. Tum ſciunt mox ſecuturam pluuiam. Quia Auſter nubes illas Aquilonaribus infrigidatas molli ſuo tepore diſſoluit à qualiquali gelu, & reſoluit in pluuiam. Vnde ſi quis obſeruet nubes à Borea fortaſſis exſufflatas, & ſiccas pridie per noſtrum tranſire verticem; & poſtridie vel eodem die redeant, & ab Auſtro reflentur in Septemtrionem, decident & reſoluentur in humorem. Habet enim ille in ſe paruulum aliquem teporem, quo mediæ regionis aërem relaxat, vt minutiſſimæ vaporum atomi in grandiores guttas confluere poſſint. Deinde etiam aërem infimæ regionis diducit & fundit,

dit, redditq́; iſta rarefactione, humore, nubium leuiorem; vt proinde, iuxta æquilibrij leges, neceſſe ſit nubes decidere. Tantoque guttæ pluuiæ ſunt grandiores quo Auſter eſt calidior; quia tum aêr magis à frigore abſoluitur, multoque fit rarior, vnde nubes decidentes facilius permeant, & non ita minutatim franguntur, ſicut cum exiguus Auſtro calor ineſt. Et quis ab hac ratione non obſeruauit guttas pluuiæ æſtate, quam hieme grandiores? Nec nimbi pæne oualium guttarum fiunt niſi cęlo calidiore & fere tonante, id eſt, aëre in raritatem prorſus ſoluto. Auſtro flante, inquit Seneca, imber improbior, & guttæ pleniores ſunt.

PROBLEMA LXIX.

Ratio qua Pueruli creſcant.

SÆpe cum animo reputaui meo, ecquis tenellis puerulis lamentabilem ploratum edentibus, & miſella voce opem alienam implorantibus, quamuis à nemine intelligi poſſint quid illis obſit, tum ſit ſolatio; vt ſæpe poſt diuturnum ploratum prouoluantur in ſuauiſſimum ſomnum, ex quo vegetiores & alacriores mox exſurgunt. Id muneris ſemper putaui à DEO Opt. Max. clementiſſimo patre omnium noſtrum, attributum cæleſtibus genijs, Angelis noſtris tutelaribus, quandoquidem illis man-

dauit

dauit de nobis, orationesque offerant conſpectui Diuinæ maieſtatis: Deusque det eſcam omni carni, & pullis coruorum inuocantibus eum; Nec ploratus paruulorum minus intelligatur, minusque vocalis ſit crocitatione pullorum. Sed veniamus ad rationem phyſicam. Ariſtoteles *lib. 7. Polit. cap. vlt.* ſuadet, pueris permittere ploratum, quia id meatus diducit, & facit ad incrementum: veluti arbores vento agitatæ patentioribus venis & auidius terræ ſuccum bibunt, ſpatioſiusque adoleſcunt. Vis igitur tenellos tuos incrementum ſumere, & grandeſcere, permitte ipſis ſuum ploratũ, prout diſcretio ſolicitæ & prouidæ matris iudicauerit. Non ex vna honeſta matrona audiui, cum metuerent ne conuectoribus grauis eſſet prolium ploratus, illum ipſis ſalutarem, quod ideo etiamſi poſſent, non lubenter impediant. Vera dicebant, quamuis illam ab Ariſtotele cauſam ignorarent.

PROBLEMA LXX.

Quot ex octo præcipuis ventis ſinguli leucas obtineant in horizonte noſtro viſibili.

SOlutio huius problematis ab eo dependet vt quis ſciat, quanta ſit diameter horizontis noſtri viſibilis. Nautæ ex Hollandia expertiſſimi aſſerunt neminem in mari videre poſſe ex

ſua

ſua aliam nauem niſi intra ſex leucarum Belgicarum ſpatium. Diameter ergo horizontis noſtri eſt duodecim leucarum, cum ante & retro non niſi ad ſex leucas proferre viſum poſſis: circumferentia triginta ſex aut paulo amplius. Diuide igitur circumferentiam horizontis in octo partes æquales, & inuenies vnicuique vento principali aſſignandum ſpatium quatuor leucarum & mediæ, & paulo quid amplius. Si autem more nautarum ventos diuiſeris in triginta duos, ſinguli vbi ſpirent obtinebunt paulo plus ſpatij ſupra leucam.

PROBLEMA LXXI.

Prædicere, an felix futura ſit vindemia.

ID eſt, prædicere, An vuæ ſint perfectè maturandæ, & ita excoquendæ à Sole, vt vinum debitam ſuauitatem obtineat, & excoctionem. Illud hac occaſione annoto, quia anno ſuperiore 1647. Auguſtus, September, quibus menſibus vinum coqui debet vt hîc loquimur, ſatis ſereni & calidi fuerunt, veluti & initium Octobris: attamen experti ſumus vuas ad Rhenum & Moſellam nõ perueniſſe ad iuſtam maturitatem, præcipue albas, quæ intentiorem & diuturnionem æſtum exigunt; vinaque omnia alba fuiſſe ſubcruda & ſubacida. Illud tum futurum Ornatiſs. Viro D. Conſtantino Münich/

amico integerrimo, prædicebam. Rogatusque rationem, reſpondi me id conijcere ex frigidiuſculis Eteſiarum Aquilonarium auris, quæ aſſidue ſpirabant, præcipue nocte: quod mihi haud erat difficile obſeruatu, quod feneſtræ Muſæi noſtri Aquilonem ſpectent. Quid tum? repoſuit ille. Auræ inquam illæ Eteſiarum frigidæ non ſinent vuas matureſcere; & quamuis æſtus ſolis conetur eas eò perducere; iſti venti Aquilonares, qui ſemper aliquid occulti & noxij frigoris inducunt, id aſſidue præpedient. Vti .n. venti corpus humanum ſubeunt per occultos meatus, qualitatesque ſuas inuehunt; ita vuis tamquam magis iniuriæ obnoxijs nocent. Ecce menſis Septembris die 26. 1648. quo hæc ſcribo, dico futuram meliorem quam anno ſuperiore vindemiam, ſi calidiores Eteſiarum auræ ab Auſtro ſpirare perſeuerent, prout hodie experti ſumus. Aura enim ventis frigidata aquilonaribus vel maxime maturitatem impedit; auſtrinis vero mollibus & tepentibus flabris intepefacta illam ſummopere promouet: quamuis hac æſtate plurimum habuerimus pluuiæ, nec æſtum qualẽ ſuperiore anno. Qua ratione Auſter auram tepefaciat diximus tertio ſupra ab hoc Problemate, & alibi. Certe magna ventorum vis, & plerumq; felix ab ijs fructuum prouentus, autumnique maturitas; ſi tepentes & calidi fuerint: qualis non eſt Aquilo, qui omnia

ita adurit & conglaciat, vt æſtus Solis vuas percoquere & maturare non poſſit. Metuo attamẽ ne huius Autumni Eteſiæ Auſtrales maligno ſuo tepore faciant potiorem vuarum partem putreſcere. Euentus docebit.

PROBLEMA LXXII.

Deprehendere errorem in computu Eccleſiaſtico, qui non ſit error.

NOnnulli ſe deprehendiſſe putant errorem in computu Eccleſiaſtico, cum legunt v. gr. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis 1647. pridie Calen. Martij, cum nobis tum fuerit annus 1648. per duos menſes inchoatus. Et ita in ceteris, antiquis ſiue nouis. Non eſt tamen error in computu, ſed alius Curiæ Romanæ vſus. Illa annum auſpicatur à feſto Annuntiatæ Virginis, die 25. Martij, quo filius Dei incarnatus eſt. Alij plerumque, & fere vbique terrarum, initium anni ſtatuunt Calendas Ianuarij: & ita fit vt ille annus nobis ſit octauus, qui Curialiſtis eſt ſeptimus, non quidem per omnes menſes, ſed Ianuarium dumtaxat, Februarium, & 24. dies Martij: die enim ſequenti illis æque ac nobis annus octauus eſt. Cuius ſtyli ignorantia etiam aliàs attentum lectorem in errorem abducit, ſi agatur de anni Dominici calculo. Idem deprehendetur error, ſi obſeruetur, quam diutiſſime, præci-

præcipue apud Gallos & Flandros, Paſcha anno dediſſe initium, quod penultimo ſeculo tributum feſto Circumciſionis.

PROBLEMA LXXIII.

Sanguinem ex vulnere, vel ſecta vena, copioſe profluentem, ſubito ſiſtere.

ILlud ſæpe venit vſui. Inquirendumque aliquid eiuſcemodi, quod ſiccitate ſua abundantiori humori reſiſtere poſſit, id eſt illum non ſugat aut tranſmittat. Si aliquando aquarum violentia aggeres perrumpat, aiunt nihil efficacius in ruptura opponi lectis pluma fultis, quod aquam plumæ telaque linea licet ſugant, non tranſmittant niſi roratim: ita vt fœno & aggeſtâ terrâ poſtea occurri poſſit vlteriori malo. Tela vero linea exuſta & in fomitem adapta ita incendiarium eſt quaſi corpus mortuum, vt Chymice loquar, vimque attractiuam humoris amiſit, & propter eximiam ſiccitatē præclaro humori reſiſtit, multo validius quam telæ araneárum. Igitur ad vulnus obligandum, & illico ſiſtendum ſanguinem nihil quod ſciam præſtantius, quam pro vulneris magnitudine & ſanguinis copia, adhibere tantum fomitis incendiarij ex tela exuſta rite apparati, quantum neceſſe eſt. Nemo hanc phyſicam rationem oppugnet niſi experientia edoctus contrarium.

PROBLEMA LXXIV.

Vbi æſtate captanda aura frigidior.

SVb vmbra altiſſimarum arborum, quod nemo ignorat: ſed vtrum omnes æque illius cauſam ſciant phyſicam, magnopere dubito. Præſuppono cum magni nominis Philoſopho, calorem naturaliter ſequi rarum, rarum calorem; & frigus denſum, denſum frigus. Cum igitur radij ſolares aërem illuſtrant, calefaciunt; fitque aër calore rarior: at vicinus vmbrâ perfuſus ſe contrahit & denſat, vnde & frigidior exiſtit; quia aliquæ illuſtrati aëris partes, rarefactione in vmbram propelluntur, & vna cum ceteris ibi colligantur in vnum nodum. quo autem maior & diffuſior eſt rarefactio, eò plures partes incurrunt in vmbram, & ab alijs ibi refrigeratæ conſtringuntur. Alia ratio, quia aër niſi à Sole vel aliunde calefiat, natura ſua eſt frigidus, qualitatemque illam in vmbra bene denſa ſeruat; præcipue ille qui terræ circumfunditur, is enim vaporibus plurimis permiſcetur & intexitur, qui à radio calefaciente & diffundente liberati, ad frigus & nonnullã denſitatem, per antiperiſtaſin ſe reducunt. Et hoc frigus nõ tantum gratiſſimum hominibus, ſed maxime ſalutare, ſi vmbra iaciatur in locis amœnis & ſiccis, vbi nulli vapores noxij.

PRO-

PROBLEMA LXXV.

Grandi malo leni verborum remedio occurrere.

ID fortè fiet, ſi Virginem nobilem, Deo dicatam, violentia militari oppreſſam his aut eiuſcemodi verbis per occaſionem conſoleris. Quod malum non vni, in immani illa & barbara direptione & exuſtione Thenenſi in Brabantia anno 1635. contigit: quando & hoc remedium vſui venit.

Immanitatē flagitij in te admiſſi, iniuriamq; nobili illatam corpori, eo quo par eſt dolore cum animo tuo recogitanti, non equidem miror nihil ad te conſolandum occurrere; ſed omnia videri mœrore & luctu pleniſſima. Cum enim animus, magnitudine doloris oppreſſus, altera ſui parte conſiderationi mali quod ſuſtinuit, affixus hæret; altera neque ſe erigere poteſt vt lætius quidpiam concipiat, aut certà ſpe maioris alicuius boni ſuſtentetur. Sed quia, dilecta Deo ſponſa, eiuſcemodi malis iam olim prouiſum eſt; Chriſtianiq; ſemper habuerunt quod Ethnicis reſponderent, pro magno crimine obijcientibus, quod eorum exaggerantes captiuitatem, adderent etiam ſtupra commiſſa, non ſolum in aliena matrimonia virginesque nupturas, ſed etiam in quaſdam Sanctimoniales: Te obnixe rógo, vt quæ SS. Patres, ſignan-

ter Auguſtinus, ſcripſerunt ad noſtram conſolationem in eiuſcemodi euentis & afflictionibus, tibi illa patiaris dici, atque in animum admittere velis. Cum enim iniuria nobiliſſimo corpori tuo per ſummum ſcelus illata in Christum, deuotæ virginitatis tuæ ſponſum, vel maxime redundet; illique incumbat dedecus vindicare. ipſe tamen adhuc patienter ſuſtineat, donec impleatur menſura delictorum: æquitati conſentaneum cenſeo, vt ſponſi patientiam erga peccatores æmuleris; quos vel ad emendationem culpęque admiſſæ ſatisfactionem ſuſtinet, vel ad pœnas grauiores, easque interminabiles & æternas. Nec id tibi euenire fuiſſet paſſus, niſi ad maius ſponſæ decus. Sola ſiquidem

Mens impudicam facere, non caſus poteſt.

Quid laſciuæ profuit Ægyptiæ adulterium in cubiculo? Quid primæ martyri Theclæ nocuit nudam in theatro certare? Non peccauit denudata: non afficitur ignominia; ſed coronatur ſancta. atque hæc quidem in theatro coronatur; illa vero in thalamo infamatur. Hæc velim tantiſper animo voluas, vt eò patientiam à ſponſo tuo, Chriſto crucifixo, diſcere valeas, quò deinde alia rationum pondera animo ſerenato, purgataque aure excipias, atque intra te concoquas.

Sit igitur in primis poſitum & firmatum, virtutem,

tutem, quâ recte viuitur, ab animi ſede membris imperare, corpusque ſanctum fieri vſu ſanctæ voluntatis. Quâ inconcuſſa & ſtabili permanente, quidquid aliud pręter illam in corpore, vel de corpore fecerit, quod ſine peccato proprio non valeat euitari, præter culpam eſſe voluntatis. Cum igitur quidquid hoſtis victor in te auſus eſt, contra voluntatem ſuſtinueris, deprehenderis extra culpam, quæ non niſi propria voluntate contrahitur. Sola autem culpa Chriſtianis pœnitendi & lacrymarum cauſa eſſe debet. Si libido, non tua; certe aliena: ſi aliena; te inquinare non potuit. Quorſum igitur ita angeris? omnemque conſolationem ab animo excludis, quaſi ipſa Deum offenderis: qui non formæ illecebram, non ætatis flo em, nedum ſexus imbecillitatem, qua prohibita es fortiori reſiſtere, deputat pro culpa?

——— ——— *hic murus aheneus eſto,*
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Magnam profecto inde habes conſolationem, quod fidam conſcientiam retineas, non te conſenſiſſe peccato eius, qui in te peccare à Deo permiſſus eſt. Cum enim, vt diximus, pudicitia virtus ſit animi, comitemque habeat fortitudinem; quâ decernat, potius quælibet mala tolerare, quàm malo conſentire: nulla autē quantumuis magnanima & pudica in poteſtate habeat quid de ſua carne fiat; ſed tantum quid an-

annuat mente, vel renuat. Quis auſit dicere, illam perdidiſſe pudicitiam, ſi forte in apprehenſa & oppreſſa carne eius, exerceatur & expleatur libido non ſua? Si enim pudicitia hoc pacto perire poteſt, profecto pudicitia virtus animi non erit. nec pertinebit ad ea bona quibus bene viuitur, ſed in bonis corporis dumtaxat numerabitur; qualia ſunt, vires, pulchritudo, ſana & integra valetudo, ac ſi quid eſt eiuſcemodi. quæ bona etiamſi minuantur, bonam iuſtamque vitam omnino non tollunt aut accidunt.

At virginitas, inquies, mihi imminuta. Quid? etiam non aſſentienti? fortiſſimo & conſtanti animo obnitenti? Ne fallaris: virginitas non corporis, ſed animi eſt virtus, nec amitti poteſt niſi à volente. Quid ſi corporis integritas caſu amittatur aut morbo, quod fieri poteſt; illam negabis virginē, quæ in nullius corporeæ voluptatis delectationem conſenſit? Spero te ingenio prę ſtantiore, quā vt hanc philoſophandi rationem percipere non poſſis. Quin etiam ſanctæ continentiæ bonum, cum immunditiæ carnalium concupiſcentiarum non cedit, & ipſum corpus ſanctificatur. & ideo quum eis nō cedere inconcuſſa intentione perſiſtit; nec de ipſo corpore perit caſtitas, quia eo ſanctè vtendi perſeuerat voluntas, & quantum in ipſo eſt etiam facultas. Neque enim eò corpus ſanctum

eſt,

eſt, quod eius membra ſunt integra, cum poſſint diuerſis etiam caſibus vulnerata vim perpeti. Quocirca propoſito animi permanente, per quod etiam corpus ſanctificari meruit, nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſeruat perſeuerantia continentiæ ſuæ. An vero ſi aliqua femina mente corrupta, violatoque propoſito quod Deo vouerat, pergat vitianda ad deceptorem ſuum, adhuc eam pergentem ſanctam vel corpore dicimus, ea ſanctitate animi, per quam corpus ſanctificabatur, amiſsâ atque deſtructâ? Abſit hic error. Et hinc potius admoneamur, ita non amitti corporis ſanctitatem manente animi ſanctitate, etiam corpore oppreſſo; ſicut amittitur corporis ſanctitas violata animi ſanctitate, etiam corpore intacto.

Fieri fortaſſis potuit, vt aliquo delectationis ſenſu vel inuita perfunderer. Reſpondeo, quidquid ſit contra mentis voluntatem, eſſe extra culpam. Immunitas enim ab eiuſcemodi delectatione, comparata ad virginitatem, habet ſe tantum materialiter: ipſum vero propoſitum perpetuo abſtinēdi ab illicita delectatione obtinet formale virginitatis. Vt ſi præter mentis propoſitum, caro violenter adacta delectationem percipiat, virginitas nequaquam amittatur, quia ea delectatio nullam impudicitiam continet; quam virginitas excludit.

Occurret prætetea, etiamſi flagitium in te alienum, quod non duo commiſiſtis ſed vnus, non eripuerit animo pudicitiam, incuſſiſſe tamen pudorem. nec mirari te, ſi Lucretia matrona nobilis, vetusque Romana, erepto ſibi pudori ſupereſſe noluerit; ne, ſi perrexiſſet viuere; iudicata fuiſſet tacito etiam delectationis aſſenſu adulterio ſuccubuiſſe. Quod virgini Chriſtianæ integrâ pudicitiâ perire poſſit pudor, illud numquam conceſſero. A pudicitia eſt pudor, illâ ſaluâ, & ipſe perſeuerat. An igitur ingenuus ille purpuræ virginalis color in te perijt? an mores inuerecundiores, aut oculos laſciuiores induiſti? Quinimo certum eſt, veluti columbam ab accipitre ictam, eò te redditam magis timidam; omnesque virorum horrere aſpectus, non quod ſexum oderis, ſed horrore defuncti periculi perterrita, etiam ſecuriſſima metuas.

Niſi fortè id deſignes, æſtimationem integritatis tibi imminutam: nec modo ab ignauo vulgo tanti te æſtimari, quantum ante illud miſerrimum infortunium deprædicabant. Illius credo te pudet. Contra quæro: Deone viuas, placereque ſtudeas, an hominibus? Deo vtique, cui ratio vitæ noſtræ conſtare debet: homines miſſos facias, qui nimis quam homines. Alioquin probis ſe probare haud difficile. Ij te vno ore deprædicant, fortitudinem laudant,

dant,pudicitiam admirantur. Habes intus gloriam caſtitatis,teſtimonium conſcientiæ,idque coram oculis Dei & Sponſi tui: quid amplius requiris? Vbi quod recte facias non amplius habes; ne deuies ab auctoritate legis Diuinæ, cum nimium refugis offenſionem ſuſpicionis humanæ. Erigere animo, & humanũ iudicium maximeque vulgare, quod vt plurimum caligine inuoluitur, præ conſcientiæ tuæ luce ac puritate aude contemnere; vt ad illam caſtitatis, fortitudinis & magnanimitatis adijcias gloriã.

Quæ pro Lucretia dicta ſunt: videntur magis in ſpeciem, & pro animoſitate ſtirpis, quã animi tui ſententia. Puduit eam turpitudinis alienæ in ſe commiſſæ,etiamſi non ſecũ: & quia Romana mulier, laudis nimis auida, verita eſt ne putaretur quod violenter perpeſſa fuerat,libenter paſſa,ſi viueret: hinc ad oculos hominum mentis ſuæ teſtem illam pœnam adhibendam putauit, quibus conſcientiam demonſtrare non potuit. Sociam quippe facti ſe credi erubuit, ſi quod alius in ſe fecerat turpiter,ferret ipſa patienter. Non ſic feminæ Chriſtianæ fecerunt, quæ paſſæ ſimilia maluerunt ſuperuiuere. Nec in ſe vltæ ſunt crimen alienum,ne aliorum ſceleribus adderent ſua; ſi quoniam hoſtes in eis concupiſcendo ſtupra commiſerant, illæ in ſeipſis homicidia erubeſcendo committerent. Si enim Iudas vel ideo maxime nocens,

quia ſeipſum licet ſceleratiſſimum, nullo diuinitus accepto mandato occidit. Quid Lucretia, quæ caſtam & innocentem interemit? Quæ nullas mariti, nullas fratris, virorum clariſſimorum, familiarium nullas admiſit preces, quin id quod animo obſtinauerat, gemente vrbe Roma, ſceleratè perpetraret. Sed his omiſſis, quid ſi dicam occulto, ſed iuſto Dei iudicio id contigiſſe in commodum tuum? Vel enim, ex quo aqua ſalutis abluta es, incurriſti aliquando in offenſam Dei; vel ſecus. omnemque traduxiſti vitã in ſumma integritate & innocentia. Quod ſi hoc poſterius verum eſt, vti verum eſſe ex animo opto, & integri mores tui perſuadent vt credam: voluit Diuina benignitas hac aduerſitate conſtantiam probare tuam, fortitudinemque animi orbi notam facere: quod aliàs ex omni virtutum genere perfecta non probareris, niſi acceſſiſſet & tolerantia; & quidquid in te eſt boni Chriſtiana conſummet patientia. Vt Iob, licet innocens, probatus eſt; ita aduerſitas veluti ignis te probauit & excoxit ad ſcoream. Ad hæc probe intelligis, quia Deus innocenter viuentes, & in eum ſperantes non deſerit, cum tentationibus facit ſuperiores. Quantum illi imprimis placeat caſtitas dubitare non potes, numquam permiſſuro vt aliena libido corpus mundum attingeret, niſi & ſic ſeruari poſſit ſanctitas, quam de ſuo contulit, & odiſſe non poteſt.

poteſt. Serio etiam conſiderandum, continentiæ bonum in bonis corporalibus deputandum non eſſe; aut tunc ſolùm manere, ſi corpus maneat etiam alienæ libidinis expers: cum reuera conſiſtat in immota voluntate quam gratia cæleſtis ſolidauerit; vt & corpus & ſpiritus ſancta ſint: nec tale bonum eſſe, quod inuito animo poſſit auferri. Deinde, veluti non pauci cita morte rapiuntur ne malitia mutet intellectum eorum: ita quibuſdam licet inuitis integritas corporis eripitur, ne nimia felicitas mutet propoſitum humilitatis, ſine qua nemo ſaluari poteſt, cum etiam pudicitiâ amiſsâ pœnitentię detur locus. Fieri aliquando poteſt vt virgo inde ſuperbiat quod virgo ſit; & hinc illi aliquid adimitur, quò & virgo maneat, & conſeruetur humilitas.

Sin autem, vt ceteri mortales ſolent, aliquãdo quidpiam deliqueris, quod ſalua humilitate negare non poteris, aut te alijs propter virginitatis prærogatiuam prætuleris, laudemque captaueris inde humanã: iuſte in te vindicat Deus corporaliter, quod ſpiritualiter deliquiſti. ſitq; aliena iniquitas tibi in correptionem & cautelam, ne nimis ſecura poſtea delinquas, aut nihil vmquam perpeſſa mali, procliuior reddaris ad lapſum. Illinc probata & iuſtificata; hinc caſtigata & emendata.

Iſthæc ſi ſerio perpenderis, conſtantiam in-

dues,

dues,ac tandem deterſo mœrore lætiora cogitabis: Deum eiuſcemodi permittere quia Dominus eſt,ijs recte vti quia clemēs & benignus. Cui ſine dubio refundendæ gratiæ, quod illius infinita bonitas vtatur malitia hominū ad ſuam gloriam,& noſtram vtilitatem.

PROBLEMA LXXVI.

Bulimia in itinere laborantibus ſubuenire.

HOc morbo laborauit olim in itinere M. Brutus, cum à Dura Apolloniam pergeret: Defectus viribus coactus eſt per militem petere aliquid panis etiam ab hoſtibus,in ipſius aduentum excubantibus. Illi, morbo tanti viri & Imperatoris cognito, lubenter quod petebatur dederunt. Cuius humanitatis & beneficij Brutus haud immemor,captâ poſtea Apolloniâ,ciuibus pepercit,magnumque clementiæ exemplum ſtatuit. Quod vel ideo prænoto,ne quis, etiam aliàs viribus validus, & munere excellens arbitretur ſe à ceterorum mortalium miſerijs immunem. Quod vni accidit, omnibus poteſt contingere.

Differt vero bulimia ſiue bulimus, id eſt vitioſa fames,quâ videaris deuoraturus bouem,à fame canina aliquid amplius, quam febris à fatigatione ab itinere. Febris enim inducit ſitim, caput grauat, nauſeam ſtomacho mouet, inflam-

flammat ſanguinem, pulſum arteriæ alterat & præcipitat: eadem facit ſæpius nimia fatigatio vel ab opere, vel à luſu; neque tamen dicenda eſt febris, quod illi effectus nō ſint à cauſa mala vel vitiata veluti febris; ideoque quiete ea corporis affectio facile curatur. Sed hoc differt Bulimia à fame canina, quod ſit à cauſa quidem vitiata, ſed aduentitia, & quæ facile tolli queat: fames canina à cauſa radicata, quæ difficulter euellitur, & medicis negotium faceſſit. Naſcitur enim ex atra bile, vel acida pituita os ventriculi occupante, vt docet Antonius Muſa; & non facili negotio diſſoluitur ille pertinax cremor ſiue viſcus. Bulimia autem hominibus plerumque itinerantibus accidit, dum ore hiante halitus terræ, loci paluſtris, & præcipue niuium nimios attrahunt; qui ventriculū ita afficiunt, & per ſympathiam reliqua corporis membra, vt quis illico patiatur deliquium animi, nec loco ſe mouere poſſit. In vera namque Bulimia ventriculus conuellitur, contorquetur & irritatur ad vomitum, quod maligni illi halitus cauſant. Huic igitur malo quæritur remedium? ſalua res eſt, ſi panis adſit, quemadmodum Bruto contigit. Ille ſiquidem ſpiritu halitibus contrario, benefico & ſalutari ex natura ſua, laborantem ventriculum ſolatur & recreat, vt illico exurgas, & quod ſupereſt viæ decurras. At ſi defuerit, nec ſpes adipiſcendi? tum præſentiſſima medi-

rebunt,ſi flamma fuliginem ſpargat,quæ lucem veluti nebula quædam obfuſcet. Fit illud noctu in balneis, dum aër humecto ſpiritu infectus flammam allambit, & in iſta coronamenta ſe prompte induit. Idem accidit Auſtro præcipue flante,quod is aciem repetaciat, & neſcio quid vaporiferum adducat.

PROBLEMA LXXIX.

Vt quis ceteris cernentibus Iridem non videat.

OFfer alicui Iridem videndam per tubum opticum, amittet ea colorationem; nec videbit niſi lumen aliquod confuſum,nulla colorum varietate notabile. Ratio,quia prior illa ſiue ſuperior cryſtallus radios nimis diducit, & diſcingit vmbram in qua fit coloratio. huic accedit, quod illam notabiliter adiuuet clara & digeſta vitri perſpicuitas: vti in conſpicilijs etiam communibus patet, quorum claritas vmbras picturarum quaſi excutit, & minima quæque vt in ſe ſunt exhibet.

PROBLEMA LXXX.

Vt pauo incubans albos excludat pullos.

NOn vanâ experientiâ præluxit nobis Patriarcha Iacob *Gen.30.* vbi variatâ à varijs obiectis ouium phantaſiâ effecit, vt modo

modo vnicolores, modo diuerſi colores agni naſcerentur. Si igitur albos pauones velis, inducatur totus ille locus albo in quo pauo ouis incubat: iugis enim albi imaginatio ſimili colore fetum aſpergit. Lepidiſſimos videbis pullos gallinaceos, ſi, dum gallina incubat, eodem loco cauea incluſum poſueris accipitrem: gallina enim nec ideo oua deſeret, ſi accipiter eam accedere non potuerit; & ita terrebitur à viſo accipitre, vt formam aliqualem corporis illius pullis ſuis vi imaginationis imprimat. Vidi aliquos eiuſcemodi, qui naturam picarum referrent. Et hæc eadem ratio, cur in Schytia, Noruegia, & niuoſis Septemtrionis locis, tot inueniantur albæ aquilæ, falcones, accipitres, vulpes, corui, vrſi: non ideo candidi, vt quidam volunt, quod niues comedant; ſed id fit vi imaginationis parentum, qui aſſidue circa album verſantur.

PROBLEMA LXXXI.

Vt ſolem æſtate perfectiſſime videas?

ID nullibi melius potes quam in aqua profunda & placida. quia lumen admittit & in profundum ſorbet, deinde quod reliquum & intuitu facile eſt, maiore veluti parte luminis extincta regerit. Specula vero quia ſolidioris & durioris ſunt ſubſtantiæ exceptum Solis lu-

annuat mente,vel renuat. Quis auſit dicere,illam perdidiſſe pudicitiam,ſi forte in apprehenſa & oppreſſa carne eius, exerceatur & expleatur libido non ſua? Si enim pudicitia hoc pacto perire poteſt,profecto pudicitia virtus animi non erit. nec pertinebit ad ea bona quibus bene viuitur, ſed in bonis corporis dumtaxat numerabitur; qualia ſunt, vires, pulchritudo, ſana & integra valetudo, ac ſi quid eſt eiuſcemodi. quæ bona etiamſi minuantur, bonam iuſtamque vitam omnino non tollunt aut accidunt.

At virginitas,inquies,mihi imminuta.Quid? etiam non aſſentienti? fortiſſimo & conſtanti animo obnitenti? Ne fallaris: virginitas non corporis, ſed animi eſt virtus, nec amitti poteſt niſi à volente. Quid ſi corporis integritas caſu amittatur aut morbo, quod fieri poteſt; illam negabis virginē, quæ in nullius corporeæ voluptatis delectationem conſenſit? Spero te ingenio prȩſtantiore,quā vt hanc philoſophandi rationem percipere non poſſis. Quin etiam ſanctæ continentiæ bonum, cum immunditiæ carnalium concupiſcentiarum non cedit, & ipſum corpus ſanctificatur. & ideo quum eis nō cedere inconcuſſa intentione perſiſtit; nec de ipſo corpore perit caſtitas, quia eo ſanctè vtendi perſeuerat voluntas, & quantum in ipſo eſt etiam facultas. Neque enim eò corpus ſanctum

eſt,

eſt, quod eius membra ſunt integra, cum poſſint diuerſis etiam caſibus vulnerata vim perpeti. Quocirca propoſito animi permanente, per quod etiam corpus ſanctificari meruit, nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſeruat perſeuerantia continentiæ ſuæ. An vero ſi aliqua femina mente corrupta, violatoque propoſito quod Deo vouerat, pergat vitianda ad deceptorem ſuum, adhuc eam pergentem ſanctam vel corpore dicimus, ea ſanctitate animi, per quam corpus ſanctificabatur, amiſsâ atque deſtructâ? Abſit hic error. Et hinc potius admoneamur, ita non amitti corporis ſanctitatem manente animi ſanctitate, etiam corpore oppreſſo; ſicut amittitur corporis ſanctitas violata animi ſanctitate, etiam corpore intacto.

Fieri fortaſſis potuit, vt aliquo delectationis ſenſu vel inuita perfunderer. Reſpondeo, quidquid ſit contra mentis voluntatem, eſſe extra culpam. Immunitas enim ab eiuſcemodi delectatione, comparata ad virginitatem, habet ſe tantum materialiter: ipſum vero propoſitum perpetuo abſtinēdi ab illicita delectatione obtinet formale virginitatis. Vt ſi præter mentis propoſitum, caro violenter adacta delectationem percipiat, virginitas nequaquam amittatur, quia ea delectatio nullam impudicitiam continet; quam virginitas excludit.

Occurret præterea, etiamſi flagitium in te alienum, quod non duo commiſiſtis ſed vnus, non eripuerit animo pudicitiam, incuſſiſſe tamen pudorem. nec mirari te, ſi Lucretia matrona nobilis, vetusque Romana, erepto ſibi pudori ſupereſſe noluerit; ne, ſi perrexiſſet viuere; iudicata fuiſſet tacito etiam delectationis aſſenſu adulterio ſuccubuiſſe. Quod virgini Chriſtianæ integrâ pudicitiâ perire poſſit pudor, illud numquam conceſſero. A pudicitia eſt pudor, illâ ſaluâ, & ipſe perſeuerat. An igitur ingenuus ille purpuræ virginalis color in te perijt? an mores inuerecundiores, aut oculos laſciuiores induiſti? Quinimo certum eſt, veluti columbam ab accipitre ictam, eò te redditam magis timidam; omnesque virorum horrere aſpectus, non quod ſexum oderis, ſed horrore defuncti periculi perterrita, etiam ſecuriſſima metuas.

Niſi fortè id deſignes, æſtimationem integritatis tibi imminutam: nec modo ab ignauo vulgo tanti te æſtimari, quantum ante illud miſerrimum infortunium deprædicabant. Illius credo te pudet. Contra quæro: Deone viuas, placereque ſtudeas, an hominibus? Deo vtique, cui ratio vitæ noſtræ conſtare debet: homines miſſos facias, qui nimis quam homines. Alioquin probis ſe probare haud difficile. Ij te vno ore deprædicant, fortitudinem laudant,

dant,pudicitiam admirantur. Habes intus gloriam caſtitatis,teſtimonium conſcientiæ,idque coram oculis Dei & Sponſi tui: quid amplius requiris? Vbi quod recte facias non amplius habes; ne deuies ab auctoritate legis Diuinæ, cum nimium refugis offenſionem ſuſpicionis humanæ. Erigere animo, & humanũ iudicium maximeque vulgare, quod vt plurimum caligine inuoluitur, præ conſcientiæ tuæ luce ac puritate aude contemnere; vt ad illam caſtitatis, fortitudinis & magnanimitatis adijcias gloriã.

Quæ pro Lucretia dicta ſunt: videntur magis in ſpeciem, & pro animoſitate ſtirpis, quã animi tui ſententia. Puduit eam turpitudinis alienæ in ſe commiſſæ,etiamſi non ſecũ: & quia Romana mulier, laudis nimis auida, verita eſt ne putaretur quod violenter perpeſſa fuerat,libenter paſſa,ſi viueret: hinc ad oculos hominum mentis ſuæ teſtem illam pœnam adhibendam putauit, quibus conſcientiam demonſtrare non potuit. Sociam quippe facti ſe credi erubuit, ſi quod alius in ſe fecerat turpiter,ferret ipſa patienter. Non ſic feminæ Chriſtianæ fecerunt, quæ paſſæ ſimilia maluerunt ſuperuiuere. Nec in ſe vltæ ſunt crimen alienum,ne aliorũm ſceleribus adderent ſua; ſi quoniam hoſtes in eis concupiſcendo ſtupra commiſerant, illæ in ſeipſis homicidia erubeſcendo committerent. Si enim Iudas vel ideo maxime nocens,

quia ſeipſum licet ſceleratiſſimum, nullo diuinitus accepto mandato occidit. Quid Lucretia, quæ caſtam & innocentem interemit? Quæ nullas mariti, nullas fratris, virorum clariſſimorum, familiarium nullas admiſit preces, quin id quod animo obſtinauerat, gemente vrbe Roma, ſceleratè perpetraret. Sed his omiſſis, quid ſi dicam occulto, ſed iuſto Dei iudicio id contigiſſe in commodum tuum? Vel enim, ex quo aqua ſalutis abluta es, incurriſti aliquando in offenſam Dei; vel ſecus. omnemque traduxiſti vitã in ſumma integritate & innocentia. Quod ſi hoc poſterius verum eſt, vti verum eſſe ex animo opto, & integri mores tui perſuadent vt credam: voluit Diuina benignitas hac aduerſitate conſtantiam probare tuam, fortitudinemque animi orbi notam facere: quod aliàs ex omni virtutum genere perfecta non probareris, niſi acceſſiſſet & tolerantia; & quidquid in te eſt boni Chriſtiana conſummet patientia. Vt Iob, licet innocens, probatus eſt; ita aduerſitas veluti ignis te probauit & excoxit ad ſcoream. Ad hæc probe intelligis, quia Deus innocenter viuentes, & in eum ſperantes non deſerit, cum tentationibus facit ſuperiores. Quantum illi imprimis placeat caſtitas dubitare non potes, numquam permiſſuro vt aliena libido corpus mundum attingeret, niſi & ſic ſeruari poſſit ſanctitas, quam de ſuo contulit, & odiſſe non

poteſt.

poteſt. Serio etiam conſiderandum, continentiæ bonum in bonis corporalibus deputandum non eſſe; aut tunc ſolùm manere, ſi corpus maneat etiam alienæ libidinis expers: cum reuera conſiſtat in immota voluntate quam gratia cæleſtis ſolidauerit; vt & corpus & ſpiritus ſancta ſint: nec tale bonum eſſe, quod inuito animo poſſit auferri. Deinde, veluti non pauci cita morte rapiuntur ne malitia mutet intellectum eorum: ita quibuſdam licet inuitis integritas corporis eripitur, ne nimia felicitas mutet propoſitum humilitatis, ſine qua nemo ſaluari poteſt, cum etiam pudicitiâ amiſsâ pœnitentię detur locus. Fieri aliquando poteſt vt virgo inde ſuperbiat quod virgo ſit; & hinc illi aliquid adimitur, quò & virgo maneat, & conſeruetur humilitas.

Sin autem, vt ceteri mortales ſolent, aliquãdo quidpiam deliqueris, quod ſalua humilitate negare non poteris, aut te alijs propter virginitatis prærogatiuam prætuleris, laudemque captaueris inde humanã: iuſte in te vindicat Deus corporaliter, quod ſpiritualiter deliquiſti. ſitq; aliena iniquitas tibi in correptionem & cautelam, ne nimis ſecura poſtea delinquas, aut nihil vmquam perpeſſa mali, procliuior reddaris ad lapſum. Illinc probata & iuſtificata; hinc caſtigata & emendata.

Iſthæc ſi ſerio perpenderis, conſtantiam indues,

dues,ac tandem deterſo mœrore lætiora cogitabis: Deum eiuſcemodi permittere quia Dominus eſt,ijs recte vti quia clemẽs & benignus. Cui ſine dubio refundendæ gratiæ, quod illius infinita bonitas vtatur malitia hominũ ad ſuam gloriam,& noſtram vtilitatem.

PROBLEMA LXXVI.

Bulimia in itinere laborantibus ſubuenire.

HOc morbo laborauit olim in itinere M. Brutus, cum à Dura Apolloniam pergeret: Defectus viribus coactus eſt per militem petere aliquid panis etiam ab hoſtibus,in ipſius aduentum excubantibus. Illi, morbo tanti viri & Imperatoris cognito , lubenter quod petebatur dederunt. Cuius humanitatis & beneficij Brutus haud immemor,captâ poſtea Apolloniâ,ciuibus pepercit,magnumque clementiæ exemplum ſtatuit. Quod vel ideo prænoto,ne quis, etiam aliàs viribus validus, & munere excellens arbitretur ſe à ceterorum mortalium miſerijs immunem. Quod vni accidit, omnibus poteſt contingere.

Differt vero bulimia ſiue bulimus, id eſt vitioſa fames,quâ videaris deuoraturus bouem,à fame canina aliquid amplius, quam febris à fatigatione ab itinere. Febris enim inducit ſitim, caput grauat, nauſeam ſtomacho mouet, inflam-

flammat ſanguinem, pulſum arteriæ alterat & præcipitat: eadem facit ſæpius nimia fatigatio vel ab opere, vel à luſu; neque tamen dicenda eſt febris, quod illi effectus nō ſint à cauſa mala vel vitiata veluti febris; ideoque quiete ea corporis affectio facile curatur. Sed hoc differt Bulimia à fame canina, quod ſit à cauſa quidem vitiata, ſed aduentitia, & quæ facile tolli queat: fames canina à cauſa radicata, quæ difficulter euellitur, & medicis negotium faceſſit. Naſcitur enim ex atra bile, vel acida pituita os ventriculi occupante, vt docet Antonius Muſa; & non facili negotio diſſoluitur ille pertinax cremor ſiue viſcus. Bulimia autem hominibus plerumque itinerantibus accidit, dum ore hiante halitus terræ, loci paluſtris, & præcipue niuium nimios attrahunt; qui ventriculū ita afficiunt, & per ſympathiam reliqua corporis membra, vt quis illico patiatur deliquium animi, nec loco ſe mouere poſſit. In vera namque Bulimia ventriculus conuellitur, contorquetur & irritatur ad vomitum, quod maligni illi halitus cauſant. Huic igitur malo quæritur remedium? ſalua res eſt, ſi panis adſit, quemadmodum Bruto contigit. Ille ſiquidem ſpiritu halitibus contrario, benefico & ſalutari ex natura ſua, laborantem ventriculum ſolatur & recreat, vt illico exurgas, & quod ſupereſt viæ decurras. At ſi defuerit, nec ſpes adipiſcendi? tum præſentiſſima medi-

medicina in profunda & acri tuſſi, quà halitus illi reſpiratione attracti, à ventriculo & pulmone excutiantur. Et ita cauſa ablata, deſinat animi deliquium, quod ſpiritus illi corpori humano ſe inſinuantes cauſarunt. Plures noui huic malo obnoxios, qui numquam audeant vrbe egredi ſine pane, præcipue tempore hiemis cum iacent niues. Plutarchus enim *lib. 6. q. 8. Sympoſ.* credit, & non fruſtra, halitus niuium per poros agitatione itineris & calore dehiantes, in corpus ſe penetrare, meatusque largius aperire, ſic vt calor naturalis multus & confertim expiret, viresque corporis deſtituat: vnde ſudor tenuis & torans toto corpore oboriri ſolet. Et quia halituum frigus in ventriculo ſentitur, nemo hieme ſe dederit ieiunus in iter. Sapiunt qui aliquid fruteti ſiue vini adulti bibunt, ne mole ſtomachum obruant, aut pateant iniuriæ halituum ex niuibus, qui itinerantibus inſidiari ſolent.

PROBLEMA LXXVII.

Iridem lucente Sole exhibere in cubiculo.

CVm Iris in cælo fiat per refractionem ſimul & reflexionē radiorum Solis in nube opaca, ſiue guttis pluuiæ gregatim decidentibus, exhibendum eſt quidpiam nubibus ſimile in quo radij Solis refrangantur & reflectan-

ctantur ad videntis oculum. Id vero ex eadem cauſa fiet in cubiculo, qua Iris cernitur in cælo, ſi obſcuro nonnihil cubiculo, radium Solis per foramen vel rimam patentem admittas ita, vt vitrum vinarium aqua plenum ſuperne quaſi radat, non ſe totum aquæ immittat & extinguatur nimia opacitate humoris; ſed ſuperiorem tantum aquæ partē penetret. Tum videbis perfectam Iridis ſpeciem. Radius enim qui tenuiſſimam & ſupremam humoris partem tranſcurrit, minimum opaci & nigri ſecum defert, apparetque in colorem flauum vel puniceum digeſtus. qui longius per humorem eunt, denſitatem illam ægrius perrumpunt, & in maiore opacitate apparent magis virides & purpurei. Idem efficies ſi aquam ore vel quemuis liquorem excipias, & radios Solis in opaco loco quaſi tranſuerſos illâ euomitâ frangas, & circules. habebis refractionem & reflexionem radiorum, perfectaque apparebit Iris non tam ex artificio, quàm cauſa naturali.

PROBLEMA LXXVIII.

Vt circa lumen candelæ corona appareat.

VTi in cælo coronæ fiunt in nubibus quæ ſtellas obſident, dum in eas lumen ſtellæ fundunt & circulariter illuſtrant: Ita aëri vapido coronæ circa lumen candelæ adhę-

rebunt,

rebunt,ſi flamma fuliginem ſpargat,quæ lucem veluti nebula quædam obfuſcet. Fit illud noctu in balneis, dum aër humecto ſpiritu infectus flammam allambit, & in iſta coronamenta ſe prompte induit. Idem accidit Auſtro præcipue flante,quod is aërem repetaciat, & neſcio quid vaporiferum adducat.

PROBLEMA LXXIX.

Vt quis ceteris cernentibus Iridem non videat.

OFfer alicui Iridem videndam per tubum opticum, amittet ea colorationem; nec videbit niſi lumen aliquod confuſum,nulla colorum varietate notabile. Ratio,quia prior illa ſiue ſuperior cryſtallus radios nimis diducit, & diſcingit vmbram in qua fit coloratio. huic accedit, quod illam notabiliter adiuuet clara & digeſta vitri perſpicuitas: vti in conſpicilijs etiam communibus patet, quorum claritas vmbras picturarum quaſi excutit, & minima quæque vt in ſe ſunt exhibet.

PROBLEMA LXXX.

Vt pauo incubans albos excludat pullos.

NOn vanâ experientiâ præluxit nobis Patriarcha Iacob *Gen.30.* vbi variatâ à varijs obiectis ouium phantaſiâ effecit, vt modo

modo vnicolores, modo diuerſi colores agni naſcerentur. Si igitur albos pauones velis, inducatur totus ille locus albo in quo pauo ouis incubat: iugis enim albi imaginatio ſimili colore fetum aſpergit. Lepidiſſimos videbis pullos gallinaceos, ſi, dum gallina incubat, eodem loco cauea incluſum poſueris accipitrem: gallina enim nec ideo oua deſeret, ſi accipiter eam accedere non potuerit; & ita terrebitur à viſo accipitre, vt formam aliqualem corporis illius pullis ſuis vi imaginationis imprimat. Vidi aliquos eiuſcemodi, qui naturam picarum referrent. Et hæc eadem ratio, cur in Schytia, Noruegia, & niuoſis Septemtrionis locis, tot inueniantur albæ aquilæ, falcones, accipitres, vulpes, corui, vrſi: non ideo candidi, vt quidam volunt, quod niues comedant; ſed id fit vi imaginationis parentum, qui aſſiduè circa album verſantur.

PROBLEMA LXXXI.

Vt ſolem æſtate perfectiſſime videas?

ID nullibi melius potes quam in aqua profunda & placida. quia lumen admittit & in profundum ſorbet, deinde quod reliquum, & intuitu facile eſt, maiore veluti parte luminis extincta regerit. Specula vero quia ſolidioris & durioris ſunt ſubſtantiæ exceptum Solis lu-

men in profundum non ſorbent, ſed exceptos feruentiſſimos radios à ſuperficie, integre repercutiunt, & minùs imbecillitati viſus noſtri conſpicuos faciunt. Solem intueri in ſe impoſſibile,ob luminis illius & viſus diſproportionẽ: qui nimia iſtius copia hebetatur, nec ferre poteſt. Vnde dum hieme diutius deambulamus per niues,ingreſſi domũ aliquandiu caligamus.

PROBLEMA LXXXII.

Ex eodem vaſe diuerſæ notæ vinum depromere.

SI quandoq; lucripetæ œnopolæ ex eodem vaſe diuerſi pretij depromant vina,non eſt mera impoſtura. Dubio enim procul vinum in vaſe ſummum non eſt æque prçſtans atque medium, neque etiam infimum: quia ſummum ab aëre circumfluo inficitur, & optimi halitus euaporant: vnde neceſſe ijs qui vinum in vaſis conſeruatum velint,illa nouo vino impleant & quantum poteſt aërem continuo excludant. Infimum vero patitur aliqualem noxam à fæcibus; At medium & puriſſimum eſt,& ſpiritibus exundat. Oleum optimum in ſummo,quia leuiſſimum,& amurca ſubſidit: Mel in imo,quia quod denſiſſimum & grauiſſimum præcipuam habet dulcedinem.

PRO-

PROBLEMA LXXXIII.

Vinum ferueſactum phiala vitrea excipere.

VInum vel cereuiſiam feruentem ſi vitreo poculo exceperis, ſtatim frangetur vi caloris nimij qui ſubito adueniens frigus tanto impetu expellit, vt vitrum frangat. At ſi vas vitreum inuerteris, vaporemque vini calefacti excipias, innoxie vinum infundes, continebisque in vaſe criſtallino tenuiſſimo; quia liquoris capax. At ſi ludum facere velis quempiam ex familiaribus, vt vitrum abluendo frangat: ſepe vel allio vitrum obline vel in extrema parte; vbi manum admouerit, illico confringetur, etiamſi rudioris materiæ fuerit. Alioquin verum criſtallum diſrumpitur ſi in frigidam imponatur non prius immerſa manu.

PROBLEMA LXXXIV.

Iniqua bilancis fraudem detegere.

VT bilanx ſit æqua, neceſſe eſt ſtipitem metallicum ex quo lances dependent in æquales partes diuidere, ita vt lingua libramenti & angina recte ſint in medio. Alioquin ſi ſtipes vel minimum inæqualiter ſit diuiſus, etiamſi adhibita arte lances ſtent in æquilibrio, tamē iniecto æquali vtrimque pondere, lanx notabi-

liter præponderabit, quæ ex parte longioris ſtipitis pependerit. Tanto enim quid ponderat grauius,quanto longius ab axe bilancis recedit. Hanc fraudem deteges, ſi merces cum ponderibus permutaueris,id eſt loco ponderum] merces poſueris, & vice verſa. Eiuſcemodi bilance vidi qui vterentur in Gallia,vbi appendendum erat aurum, vt aduenas deciperent. Sed obuiandum illa qua dixi methodo. Aut ſi impoſtorem vis falſi conuincere, omnino vtrumque ſtipitis latus filo menſura, fraudemque detege. Vnde vt alij fraudem fraude rependant nummos aureos leuiores oblinunt viſco ſiue ſordibus aurium: quæ licet abſterſæ notabile addunt pondus. Chymici vtuntur aqua ex fæcibus humanis ſua arte eliquatis. quod nihil in corpore humano magis ſit terreum, ideoque nihil grauius, quam excrementa.

Occaſione bilancis, ſi quis petat quatuor ponderibus tantum omnia perpendi pondera, quæ ſunt ab vno vſque ad quadraginta, ita vt non opus ſit alijs ponderibus. Id efficies, ſi primum pondus ſit vnius libræ, ſecundum trium, tertium nouem, quartum viginti ſeptẽ. Quinque ponderibus licebit omnia pondera perpendere ab vno ad centum viginti & vnum. ſc. 1.3.9.27.81. Item per ſex ad 364. ſc. 1.3.9.27. 81.243. ſcrutare, & verum inuenies.

PRO-

PROBLEMA LXXXV.

Ferrum durius reddere exiguo tempore.

FErrum quantumuis ex ſe durum & rigidum, durius rigidiusque fit, candens ſi ſæpius immergatur & extinguatur aquâ: Quę qualitates ferri ad ſe attrahens vſui eſt Chymicis. Vnde fabri ferrarei, dum ferrum volunt rigidum & inflexile, aquâ candens extinguunt: quæ nolunt æque rigida & dura, vt ſunt claui, ſinunt vltroneè humi extingui. At, vnde ferro durities & inflexibilitas illa ab aqua? Quia aquę frigore cogitur ignis introrſum ad abſumẽdum celeriter humidum ferro innatum: quod illi antea præſtabat vt minus, durum, ductileq; ſe præberet.

PROBLEMA LXXXVI.

Deprehendere, vtrum quis à morbo Neapolitano recenter curatus ſit.

TAnta eſt auri & Mercurij ſiue argenti viui cognatio & ſympathia, ex Phyſicorum & Chymicorum ſententia, vt nulla metalla æque ſe inuicem ament & amplectantur. Hinc ſi quis morbo Neapolitano recenter laborauerit, & aliqualiter curatus ſit; ſtatim deprehẽdetur: ſi illi detur in os annulus vel num-

mus aureus, lingua hinc inde voluendus. Tum argentum viuum, quod præcipuum cōtra morbum illum remedium, corpori adhuc ex illitu & vnguine innatans ab auro rapitur, & in annulum ſiue nummum defertur; nec priſtino reſtituitur nitori, niſi admoueatur rurſus igni, & expurgetur. Magneti vnde inſit vis attractiua ferri, ſuccino ſtipulas, ſi quis dicat: reſpondebo vnde virtus auro attractiua ad ſe argenti viui, quod vehiculo ſpirituum animalium in corpore humano voluitur.

PROBLEMA LXXXVII.

Vtrum ſurdi percipere queant ſonum v.g. cytharæ vel lyræ ex guſtu, contactu inſtrumenti?

RESpondeo ex principijs Phyſicis quinque ſenſus ita ferri in obiecta ſua æqualiter & adæquate; vt nullus eorum limites ſuos excedat. dicoq; impoſſibile phyſice, vt quis ſonum videat, colorem audiat, odorem palpet, & ita de reliquis. Vnde qui aſtruunt ſonum lyræ v. g. vel cuiuſcumque inſtrumenti audiri poſſe à ſurdo, ſi inſtrumentum ab altero pulſatum extrema ſui parte ore apprehendat; falluntur, id fieri beneficio guſtus; qui ſenſus non magis aptus eſt ad audiendum, quàm auris ad guſtandum; cum tantùm fiat beneficio aliqualis auditus, qui ſurdo remanet, ſi ſonus aliquis per os ſubtilius inſtil-

inſtilletur. Alioquin palatum tactu aliquo & tinnitu affici non nego, & qui ſenſibilem aliquam harmoniam efficiat. Ceterum qui abſolute ſurdus eſt, impoſſibile, vt guſtu ſonum quemcunque percipiat, ſi ita obſurduerit, vt omne omnino auditus organum amiſerit.

PROBLEMA LXXXVIII.

Præſagire tempeſtatem ex geſtibus brutorum.

SI gallinaceus vel anas frequenter & temere interdiu cantet. ſi grues reuertantur, aut dimiſſius volent. ſi cygnos, anſeres, anates, vt Virgilius ait:

Certatim largos humeris infundere voces,
Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in vndas,
Et ſtudio incaſſum videas geſtire lauandi.

Si boues cælum ſuſpicientes olfactent, aut ſe cõtra pilum lambant. ſi ſues laſciuientes ſtramen vel manipulos ore diſcerpant. ſi fęles barbas lauent. ſi pecora indecorę exultent. Horum ſi aliqua videas, præſagire potes inſtare tempeſtatem. Cum enim bruta habeant magis, quam homines, obnoxia corpora mutationibus & iniurijs cæli, facilius præludium tempeſtatis ſentiunt, & quia ratione carent, inſtinctu & impetu naturæ in perturbationes & motus data occaſione abripiuntur. Atque ita ex denſitate &

raritate corporum, quæ ex aëris intemperie naſcitur, prouenit illa laſciuia & motus animaliū. Ante tempeſtatem ſiquidem, & cum plurimus vapor, multæque nubes in aëre incipiunt cogi, humor non paucus deorſum defluit continuè, non quidem guttatim, aut vt facile percipi poſſit, ſed inſtar aëris denſioris, aut roris continui. Id enim fieri neceſſe eſt, ſimul atque vapor, minima grauitatis adiectione aëris, in quo penſilis fluctuabat, ſuperauerit æquilibrium. Hic ergo cum ſit tenuiſſimus, facile penetrat in animalium poros & cutem, & titillando aut mordicando ad ſaltus inconditos, aut voces inſtigat. Quæ ideo ſe lambunt aut lauant vt titillantem illum humorem abſtergant. Per illam etiam cauſam expediri poteſt quod Plinius ſcribit, Trifolium herbam inhorreſcere, & folia ſurrigere contra tempeſtatem. Nerui enim quibus folia eius intenduntur, frigore & qualitate humoris contrahi poſſunt, & folia ſurrigere. Eadem ratione in corio vituli marini Auſtro flante pili emicant & inhorreſcunt. Borea redeunte ita ſubſidunt & ſternuntur, vt vix appareant. Hic etiam rorulentus vapor, ſuperne defluus, imbrium & tempeſtatum prodromus, plantarum florumque odorem irritat, maxime poſt ſiccitatem: multoque longius & incitatius tum horti odorem ſpargunt. Ab eadem cauſa eſt, quod fores acrius ſtrideant ingruente imbre vel

tem-

tempeſtate, ligna in igne crepitent, fungi circa lucernas concreſcant.

Cur vero cicatrice aliqua notabili ſignati, podagrici, laborantes callo in pedibus, vulgus noſtras oculos picarum vocat, ex dolore quem ſentiunt, prædicere poſſint tempeſtatem, vel magnam aëris mutationem, vlterius diſcutiendum relinquo Medicis. Quamuis & in hanc cauſam referri poſſit: quod vapor ille rotulentus ſe faciliusper poros in partes illas debiliores corporis inſinuet, moleſtiaque afficiat, non raro dolore proprie dicto.

PROBLEMA LXXXIX.

Imitari ſtellas in cœlo diſcurrentes.

HAbe duas candelas accenſas, alteram flatu oris exſtingue, fumantemque ſuppone ardenti inuerſæ, ita vt fumus extinctę contingat accenſæ flammam: videbis quaſi ſtellulam flammeam deorſum currentem. Ita enim reuera fit in meteoris. ſtellæ nullæ cadunt, etiamſi ſerenis noctibus illæ ſæpe nobis videantur cadere. Non enim illi ignes aërei ita exploduntur à nubibus vt cadant, ſed tantummodo videntur diſcurrere per materiam in ſupremo aëre in longum expanſam; nec re vera materiam illam deſerunt, ſed vna flamma alteram continentem accendit & ſuſcitat, ſicut in can-

dela fumante fieri diximus, Neque plane neceſſarium eſt, vt tota exhalatio continua ſit: quia vna pars aliam non longe remotam per interuallarem aërem, veluti flammà per fumum, incendere poteſt; vt & in ſtupa igni fere attigua cernimus. Expertus ſum in puluere tormentario, quem æſtate Soli expoſitum accendi carbone accenſo mediante tantum feruentiſſimo aëre, ita vt carbone ardente ipſum puluerem non attigerim: qui tamen totus conflagrauit. Idē contingit in naphta: in quā, inquit Plinius, vndecunq; viſam tranſiliunt protinus ignes. Sic Medea pellicem, filiam Regis Creontis, à Iaſone coniuge ſuo ſuperinductam, coronâ eius, cuius vſus in ſacrificijs, naphtâ illitâ raptaque ab ignibus, cremauit.

Hinc & aliud licebit naturę obſeruare miraculū, ſed exiguum, quod per fumum ignis contra naturam ſuam deſcendat deorſum. vt ſi candelam fumigantem tantùm ſuppoṇas alteri accenſæ; flamma illico per fumum deſcendet, & extinctam reaccendet.

PROBLEMA XC.

Non obſcurum veſtigium SS. Trinitatis in naturalibus deprehendere.

Voluntas in homine & intellectus vna eſt eſſentia. Ratio vero nihil aliud, quam intelle-

tellectus motio ad concluſionem, aut electionem. Adeo vt λόγος & νοῦς ſint apud veteres, ſicut Filius & Pater in diuinis. Et apud Ariſtotelem νοῦς ſignificat prima principia notiſſima: λόγος autem eſſentiam, & definitionem, & τὸ τί ἦν εἶναι. Ex duobus tertium fit, quaſi Spiritus productus, id eſt ſcientia ex concluſione. Poſſetne aſſignari aliud in omnibus creatis quod propius arcanum illud & ſublime myſterium SS. Trinitatis repræſentet, aut exprimat? Certe attentum & pium ſpeculatorem non poterit quin pulchritudine ſua hæc comparatio oblectet.

PROBLEMA XCI.

Vt lapidem exigui ponderis quis è menſa tollere non poſſit.

STatue menſam lapideam, illique ſuperpone lapidem v. gr. vnum pedem longum & latum, ſed valde tenuem, vt in craſſitie non habeat niſi pollicem vnum aut duos. Deinde mutuo attritu ita fricentur atque adeo plani fiant, vt quaſi vnus lapis ſint. nemo lapidem menſæ impoſitum manu tollere poterit, niſi eouſque moueat, dum aliquid aëris inter vtrumque ladem intrauerit. Ratio cur alioquin non diuellantur, Quia vna linea nequit actu eſſe duæ: at eſſent duæ vna recta, ſi fieret angulus. Eſſet enim cōtactus, & nō contactus, propterea quod non datur vacuum: PRO-

PROBLEMA XCII.

Deſignare tempus venationi oportunum.

MAximum ad venationem momentum adfert odora canum vis: niſi enim illi feras odoratu inueſtigent & deprehendant, ex antris & luſtris non poterunt exigere, aut prædæ facere. Et hinc certum eſt, illud tempus venationi oportunum cùm canes feras maxime odorare potuerint; quod fit flante Auſtro, prout experientes venatores ſciunt; numquam enim melius certiusque canes inueſtigant. Ratio phyſica, quia odoriferi halitus quos feræ ſpargunt, calore quē ſecum Auſter vehit, fiunt fragrantiores, liberiusque commeant per tepentem & laxatum aërem. Qùa ratiòne Auſter præ reliquis ventis ſit calidior, nōn huius eſt loci inueſtigare. Tamquam indubitatum apud Phyſicos id præſupponimus. Obſeruant deinde venatores, odorem ferarum obtundi nimia roratione. vnde plenilunio, cùm maxime rores multiplicantur, difficulter canes olfactu feras aſſectantur. Iacente niue veſtigia ferarum odoratiora fiunt. quia lux niuis aliquid teporis aëri commûnicat, quò magis ſe diffundat, longiusque vehat ferarum fragrantiam. Si vero bombarda te exercere volueris, ferasque iaculari; capta ventum Auſtro contrarium, id eſt

Boream

Boream vel Cæciam: illoque contrario incede, ne feræ odorem pulueris tormentarij, prout odoratu valde pollent, percipiant. Frigidi enim illi venti odorem hebetant, alligantque exſpirationes, aut pigras reddunt. Et ſi feræ ſemel odorem pulueris perceperint, profugient in ſiluas & antra ſua.

Lepidum eſt quod Cornelius Gemma ſcribit *lib. 2. c. 2. Coſmocrit.* Auſtro flante & pluuioſo cælo feminas & pueros tamquam natura humidiores, in Belgio vermibus magis obnoxios, credo quo & feminæ habeant, vbi ſe venatu exerceant.

PROBLEMA XCIII.

Quânam aura præſtet iter facere.

MAlim ego cælo pluuioſo quam ventoſo iter facere; aqua aſpergi, quam perflari ventis, præcipue qui ſæuiunt à Meridie. De Auſtro ſiquidem Hippocrates ſcribit, quod aures hebetet, ſenſus tardet, capitis dolores moueat, aluum ſoluat, totum corpus efficiat hebes, humidum, languidum. Hinc à Græcis Auſter Karebarikos, caput grauans dictus. Grauedinem autem iſtam & diſtillationes humido ſuo adfluxu cauſat & calore, quo ſanguinem itinerantium, bilem, pituitam, omnesque humores regelat, fundit, & intendit. Et quam ſenſi-

ſenſile iſtud malum? quamuis pauci eò reflectant animum. Plures recentes ab itinere tuſſiunt, dolorem queruntur capitis, corpusque ſentiunt vel maxime indiſpoſitum; imputant huic & illi cauſæ innoxiæ originem ſui mali, quamuis non ſit niſi à maligno flatu. Auctor ſim amicis meis, vt ne vllum cuius captanda beneuolentia, conueniant recenter domum reuerſum, ſi Auſter flauerit: moroſos enim & ſubtriſtiores quoſuis reddit liberalius exceptus. Non vana obſeruatio: & Phyſica morali Philoſophię viam ſternit. Magna profectò vis ventorum in corporum temperiem; & merito illos quantum poſſunt viri ſagaciores euitant: quod per minimos poros, veluti latrunculi per feneſtellas, ſe inſinuent, etiam in ſecretiſſimas humani corporis latebras, qualitatesque ſuas inuehant, quæ raro bonæ. At Auſter eò nocentior quod calore ſuo, quamuis nobis vix ſenſili (at aër eum admittit) meatus faciat laxiores, viamque ſibi faciat quaſi blandiendo; dum falſa refrigeratione decipimur.

PROBLEMA XCIV.

Prædicere annonæ copiam.

Effectus primarius niuis eſt incolumitas frugum. Spiritum enim terræ, plantis vitalem, nix continet & ſupprimit, vt circa radices hæ-

hæreat. & ipſa etiam multo halitu ſalutari turget, quẽ & humore blando & tenui terræ venis inſpirat. Et quandoquidem niues eadem de cauſa etjam nucum auellanarũ prouentui faueant: ſi initio æſtatis illarum magnam vbique aduerteris copiam, ſecure augurari potes, fore quoque inſignẽ agrorum fertilitatem. Vnde Campanienſibus ruſticis in prouerbio, arboribus ineſſe felix fertilitatis omẽ, vti hoc anno 1648. & ſuperiori contigit. Virgilius 1. Georg.

Contemplator idem, cum ſe nux plurima ſiluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes:
Si ſuperant fetus, pariter frumenta ſequẽtur,
Magnaq; cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliarum exuberat vmbra:
Nequidquã pingues palea teret area culmos.

Quàm vero quæſtuoſum foret ſi quis æque cõiecturare poſſit, qualis lupuli, quo ad coquendum cereuiſiam ad illius conſeruationem & ſaporem quaſi ſale vtimur, futurus eſſet prouentus. At id non poteſt, quia etiamſi præclare floruerit, & fructificet, ſpemque opimæ meſſis faciat; decidit ſæpe æſtate ros, non aqueus ille & fecundus, ſed aridus & permixtus multa noxia exhalatione, qui mox ſiccato vapore inſtar farinæ lupulum reſpergit, adurit & necat. hunc ruſtici mannam vocant. Ideoque vt lupuli prouentus incertus, ita pretium maxime variat; nec certi quidpiam de ijs ſtatuerę poſſumus.

PRO-

PROBLEMA XCV.

Vt puer decennis arborem decem & amplius librarum ſurſum, deorſum; dextrorſum, ſiniſtrorſum agat.

DEmitte trabem in aquam ſtagnantem ſatis profundam, illam puer decennis ducet quorſum voles. Et quia in æquilibrio extremitates trabis pondus amittunt, eoquod in æquilibrio tantum axis tendat ad centrum, alterutram idem facile attollet vel deprimet. Sed quæritur ratio phyſica, cur lignum in aqua quaſi pondus ſuum amittat, vt tam facile trahi poſſit. In primis vt id fiat, lignum ſupernatare debet; ſi enim fundo hæſerit difficile eſt motu. Non ſupernatabit vero niſi tantum & plus aquæ in eodem ſuæ molis ſpatio ſub ſe cōtineat; eoquod, veluti nubes quamdiu aëre infimę regionis fuerint leuiores non decidunt, ita ſubſidit, niſi tantum & plus ponderis ſubſternuntur aquei. Et ita reuera eſt, ſi quis appenderet aquam, quæ trabi maximæ ſubiacet in fluuio vel viuario, vſque ad fundum, certo depræhendet illam longe grauiorem. At eſt alia ratio, cur aqua lignum viride licet & grauiſſimum ſuſtineat, non lapidem vel ferrum etiam tenuiſſimum: quia lignum non tantum apertiores poros habet, ſed & plus de aêre participat, qui aquâ

aquâ ſuperiorem locum occupare gaudet. Lapis vero & ferrum quam plurimum terræ in ſe continent, ideoque ad illius centrum per liquidum tendunt. Deinde, etiamſi viride lignum multum aquæ contineat, multoque ſit ponderoſius, non tamen ſubmergitur ad fundũ, quod aqua in aqua pōdus perdat. Poſtremo puer trabem facile per liquidum mouet, quia idem fluidum, & guttula guttulæ facillime cedit; aut ſurſum in aërem ſe erigit, vel in quodcunque latus inclinat. Hinc Poëta damnans ſuam aliorumque ad ſcribendum facilitatem, dicit ad id ſe duci veluti mobile lignum, à quocunque poſtulantium carmen.

PROBLEMA XCVI.

Alicui horrorem incutere ſine noxa.

Plurimi horrere ſolent ad attritum & ſtridorem limarum, nonnulli ad ſericarum veſtium ſibilum, dum domicellæ ſe mouent. Quam facile igitur fuerit quibuſdam horrorem incutere. At vnde id prouenit, quod ſtridor horrorem cauſet? Quia calor imbecillior leui de cauſa quatitur. admiſſus per aërem ſonus mouet aërem qui intus eſt in corpore; & ita ab vtroque illo proxima quæque conuelluntur; ab ijs vero alia quæque ſuis ſedibus. Et ita ex horrore foris tolluntur pili, quia intus muſ-

culi ſuccutiuntur. Iſthæc quoque ratio, cur horrore perculſi cogantur ſæpius vrinam reddere. Audiui Ipris in Flandria ex Comite de Watou, quod ad ablutionem manuum, quæ à famulis ante menſam affundi ſolet, ita horreret vt vrinam retinere non poſſet: ideoque cum ceteris manus numquam lauabat. Auiculæ quoq; cancellatis caueolis incluſæ attritu cultrorum ad cantillandum excitantur, ob acutam ſoni contentionem, eadem de cauſa.

PROBLEMA XCVII.

Plumbum citius quam butyrum liquefacere.

ISTud paradoxon ei videbitur qui non attenderit rationem phyſicam. Pone ignem æque validum, butyri & plumbi adæquatam maſſam, ſed notabilem v.g. aliquot pondo, vas vtrique ad ſui fuſionem aptum, multò citius plumbum liquabitur. Id experientiâ plures ſciunt. Ratio phyſica, quia butyrum multum aquæ & & viſcoſitatis in ſe continet, quapropter diutius igni reſiſtit, & ſtridet, ægerrimeque reſoluitur, loquor præcipue de recenti, eo quod vna butyri pars alteram non accendat, ſed potius prohibeatur altera: vnde & lucta ſiue ſtridor, quia calido & ſicco continue frigidum & humidum occurrit, dumque humor ab igne tenuatur, ſpirituoſam induit naturam, & acute ſtridet. At in plumbo, vbi vna pars feruorem ignis conce-
perit,

perit, alteram attiguam celerrime adurit, tum quia calor in eaveluti materia denſa maxime actuoſus, tum quia à contarijs qualitatibus ſecundæ partis non ſiſtitur impetus primæ.

Lepidiſſimum eſt quod narraturus ſum: Oppidulo quodam, habitatâque domo (corā Deo dico, id Hebræis ſonat veriſſime) vaſa cereuiſiaria eluebantur calidâ, mox exceptura cereuiſiam. Famuli ſæpius exhauriebant caldarium ſiue cacabum infra ipſius medium; illicoq; replebant frigida. Contigit vt id temporis hoſpiti domus ſuperuenerint aliquot hoſpites de mantica; qui rogati ſunt tantiſper aſſidere foco iſti luculento, quo calefiebat aqua, dū appararetur cœna. Illatus eſt hauſtulus cereuiſię melioris notæ: cœperūntque illi ſe inter diſputare, Cur caldarium, cui iam diu non fuerat infuſa aqua recens, quod famuli abſoluiſſent ſuum penſum, ita ſtrideret, horribilemq; ēderet quaſi gemitum & lamenta. concluſumque, ibi torqueri ſpiritum aliquem qui eiuſcemodi eiulatus ederet. Audiuit id puerulus foco aſſidens, retulitq; S. C. ad matrem. Illa indignabunda, quod domus ſua mox male auditura eſſet à ſpiritibus, intrat ad hoſpites, Et numquid vos, inquit, ignari Philoſophiæ naturalis? ego mulier numquam frequentaui ſcholas, ſcimus id tamen ego & famula mea ſemper fieri ſolitum, quoties exiguum aquæ calidæ in maiore vaſe cupreo

relinquatur ſuper igne. Quid? vos focũ meum vultis eſſe ignem purgatorium, in quo torqueantur animæ? Nos id ſcimus naturaliter fieri, cauſam non nouimus. Intellexi tamen ex filio meo, dum Louanij ſtuderet, aquam dum ab igne tenuatur fieri ſpirituoſam, ideoque ſtridere aſſidue in tenui ære, quod illud ſonorum ſit. Expalluit quod acciderat in vulgus, irriſaque iſtorum ignorantia, qui totius Phycæ ignari, ſemper recurrunt ad cauſam hyperphyſicam, orbemque replent lemuribus.

PROBLEMA XCVIII.

Quomodo hieme itinerantes ab igne ſibi caueant, ante quem in ſtramine dormiunt.

SI nullas paleas aut feſtucas patianter igni vicinas, non quod vis caloris ignis agat in aliquid diſtans, idque accendere poſſit: ſed quia ignis aërem ſibi vicinum adtrahit in pabulum & ſui conſeruationem, cui continue alius atque alius ſuccedit: & ita fit motus aëris attracti, atque eodem motu paleæ & feſtucę, vtpote leuiſſimæ, facile corripiuntur. dumque igni vicinæ flammam concipiunt, aliæ atque aliæ incenduntur, donec ſtramen cui forte indormiſſes, flammâ corripiatur. Eò autem feſtucæ facilius cum aëre ſequuntur, quia alias daretur vacuum, quod natura ſumme horret. Abſumi-

tur

tur enim continue ab igne vicinus aër,& neceſſe vt alius ſuccedat, vel aliud habens qualitates aëreas.

PROBLEMA XCIX.

Lebetem feruida aqua plenum tangere nuda manu.

LEbetis fundus, etiamſi in eo aqua bulliat, non calet, quia natura ſua frigidum æs, quantum poteſt, retinet frigiditatem. Retinet autem aquæ frigore adiutus fundus, non parietes ſiue latera, quia aqua nō tantum in poros illius rectius ſe inſinuat; ſed quia aqua quæ calefit, ſummum petit: frigida ſemper in imo eſt. Hoc autem ſenſu percipi nequit idcirco, quia cùm effunditur, miſcetur. Patet autem ex eo, quod ſi in lebetem aqua calida infundatur, ſtatim caleſcit fundus. Poteris igitur innoxie nuda manu tangere lebetis fundum etiam recentiſſimi ab igne, & in quo aqua bullietit. Falles autem alterum ſi æreum quadrantem inieceris, qui ignem concipiet ſubmotâ aquâ. Idem fiet in ſcutella ſtannea, in qua coci aliquādo carnes vel piſces lixant: ſi æreum quadrantem inieceris, ſcutellam pertundet, eadem de cauſa: quia mediante ſtanno ignem concipiet, ſcutellamque perforabit liquante ſtanno.

PROBLEMA C.

Equites aduentare à quinque, ſex, & amplius leucis, quomodo percipias.

ID noſtrates ruſticos in Campania neceſſitas docuit, cum aduentum militum, omnia diripientium, ſemper metuentes, praxim hanc excogitarunt, vt ſaltem ſonum aduentantium equitum perciperent adhuc ſatis longe diſtantium, quò ſua poſſint in tempore conuaſare, & pecora abigere. Fodiunt foſſam quadrilateram in patente campo: hanc intrat quiſpiam, dum metus eſt à militibus, & aurem fundo, lateribusque applicat, ſtatimque percipit agitari terram, & impelli vngulis equorum aduentantium. Veluti enim, dum oneratiores carrucæ tranſeunt, plerisque in ædibus, ſcutellæ in culina expoſitæ., feneſtræque ſuccutiuntur, atque ſubſiliunt. Et quia carrucæ Colonienſes maxima vehunt onera, quoties Bruxellæ id fit, domeſtici dicunt, Ecce iterum præteruehitur vinum Rhenenſe à Colonia. Quod tum in platea lapides magno premantur incumbentium birotarum pondere, ita vt de loco cogantur diſcedere; atque ita impellant vicinos ſilices, illi proximos, & ita ſucceſſiue, donec impetus fiat in muros domorum, illique ſucceſſi ſcutellas & feneſtras quaſi animent.

Alio-

Alioquin vbi plateæ non ſunt ſtratæ ſilicibus, tranſitus carrucarum non percipitur in vicinis ædibus, niſi in cauea, ob impulſam tantum terram. Ita quoque eminus percipitur aduentare equitatûs, ſi quis, præcipue in myriceto, aurem terræ applicet, aut ſtet in profunda ſcrobe: quod ibi nulla flumina, nullæ ſiluæ, quæ agitationem ſiue ſuccuſſionem terræ intercipiant & ſiſtant. Praxis tempore belli vtiliſſima, & mirum ea plures paganorum non vti. At ipſi ſæpe equites, huius arcani Phyſici conſcij, dum vicis appropinquant, quibus hoſpitari volunt, & ruſticanis inexpectantibus ſuperuenire, tolutim equitant, & ſe diſiungunt, ne nimia terræ continuæ fiat impreſſio.

PROBLEMA CI.

Pilam æream aquæ inijcere vt reſiliat.

NIhil euidentius quam quod æs in aqua ſubſidat, vtpote corpus metallicũ, quod ad ſuum centrum vltra aquam tendit, quæ terrâ leuior. At ſi curaueris formari pilam cupream intro concauam, ita vt aër incluſus non exeat: proijce eam in aquam; repercutietur. nec ſubmergetur niſi pondus æris aëreæ actiuitate notabiliter præponderet. Ratio phyſica, ſubordinatio elementorum, vt nullum detineatur, vel inuehatur contra ſuum à Deo, na-

turæ conditore, ſemel deſignatum ordinem. Hinc & veſicæ aêre turgidæ non poſſunt ſubmergi. Si pondus ſubſtratis aquis addideris grauius, ſubmergentur quidem, ſed mox diſruptæ patientur euolare ſibi incluſum aërem. Vnde niſi tot obſtaculis, & tam validis, contineretur aër infra aquam & terram; ſubito irrumpens concuteret totum orbem.

PROBLEMA CII.

Quò Typographi Colonienſes correctiſſime imprimant.

CHriſtophorus Plantinus, Regius Antuerpiæ Architypographus, omnium quotquot ante fuerunt, & poſt eum futuri ſunt accuratiſſimus, nitidiſſimus & correctiſſimus excuſor, non tantum domi ſuæ alebat viros vndicumque doctiſſimos, qui munus corrigendi libros à prœlo recentes obibant, honeſtoque ſuſtentabat ſalario, ſed & ipſe apprime doctus operam addebat ſuam, nec alienis nimium credebat oculis: neque hoc modo, ſed & pauperibus ſtudioſis folia impreſſa diſtribuebat legenda, inita cum ijs pactione, vt quotquot deprehenderent errata typographica, totidem ab eo donarentur ſtuferis Brabanticis. Tum vero illi veluti canes venatici denſam illam & opacam vocum & elementorum ſiluam

per-

percurrecant ſagaciſſime, omniaque exactiſſime perſcrutabantur, ſi quidpiam poſſent prędę facere. Eoque fiebat, vt correctiſſimi ex officina Plantiniana prodirent codices. Quot hîc Coloniæ egregij & eruditi iuuenes, *quorum* per hanc temporum calamitatem

virtutibus obſtat

Res anguſta domi

Ij Typographis lubentiſſime operam ſuam accommodabunt, diligentiamque adhibebunt & curam, ſi vel mediocris reponatur merces. Valent oculis, tempore abundant, & valde id velint.

PROBLEMA CIII.

Quò ſtudioſi facilius ſoluant Ænigmata.

ÆNigmata non vſque adeo ſolutu difficilia, ſi modo legitima, & reipſa ſint quod nomine pręferunt. Sed quæ iam plerumque affiguntur, ſtudioſisque adoleſcentibus proponuntur ſoluenda nō tam Ænigmata ſunt, quàm emotæ mentis deliria, meræ chimeræ, quæ nec ipſe ſoluat Oedipus: digna potius in quæ Alcides aliquis depugnet ferro & face. Vt igitur quis tanto poſſit facilius Laureolam ex iſto muſtaceo decerpere, in primis ſciendum, quid proprie ſit Ænigma, & in quo diſtinguatur ab alijs loquendi figuris. Eſt igitur

Ænigma obſcura narratio, ſub qua alia res aperta & ſententia vulgaris latet, induſtrieque obnubitur. Ænigma hieroglyphicum, cũ ſignis vſu & aſſenſu eruditorum receptis loquimur, vulgoque notam & vtilem ſententiam rebus in tabula depictis potius deſignamus, quam verbis. Ænigma hiſtoricum continet veram rei geſtæ narrationem, figuris ſiue imaginibus expreſſam, nullo litterarum addito inditio. Ænigma apologicum ſiue fabuloſum mendacio tegit vtilem moribus ſententiam, ſiue id ſcripto fiat, ſiue expreſſis in tabula brutis, rebusque inanimatis. Logogryphus conſiſtit in ſolis verbis, cum vna eademque dictio, detracta vna vel pluribus litteris, aut additis, aut tranſpoſitis, varia ſignificat. Ænigma parabolicum eſt rei veroſimilis venuſta narratio, vel pictura, inſigne aliquod dogma politicum vel morale ſub cortice fictę narrationis continens. Emblema meo iudicio non eſt aliud quam elegantes, acuti, & perſpicui verſus qui etiam exprimuntur pictura idem quaſi loquente & enarrante. Vt illa ſcripturæ ſit quoddam emblema ſiue ornamentũ. Iſthæc etiam pauca ſi ſtudioſa Iuuentus non ignorauerit, ſed inter ſingula nouerit diſcrimen, facilius multo peruadat ad latentem ſub quocunque Ænigmate ſenſum: ſi tamẽ illi qui proponunt, rite diſtinguant, & non omnis generis permiſceant. Ijs ego conceſſero, vt proprio ſen-

ſenſu nimium abundantes Andromedam ſuam amplexentur in rupibus, quo nemo vmquam quantumuis acutiſſimi ingenij aliter penetrauerit. Vos ingenui Iuuenes, quibus pectus de meliore luto ab eiuſmodi vanitate auertite oculos.

PROBLEMA CIV.

Philtron efficax ad conciliandum conſeruandumq́ amorem inter coniuges.

NOn velim hîc, Lector, expectes medicatum aliquod poculum à Circe aliqua vel medea, non à Zoroaſtre, Apollonio Tyanæo, Dimocrito. quorum poſtremus philtron confeciſſe legitur, quo boni, felices, fortunatique filij gignerentur; penultimus aliud, quo auium voces rite intelligeremus, ſicuti de eo ſcribunt Philoſtratus & Porphyrius. Nec etiam ferimus pilulas ab officina pharmacopæorum, aut præſcriptum à medicis: eſt tamen præſcriptum & remedium phyſicum, ſed à morali Philoſophia. quo qui vti voluerit, debebit forte gratias.

Ad conſeruandum igitur, ſiue reſtaurandum, ſi defluxerit, amorem coniugalem nihil præſtātius, quam ſi quis vim neceſſitatis vertat in occaſionem virtûtis: vt, quoniam vxori ad mortem conuiuendum eſt, quam ſuauiſſime conuiuatur; quod ſit per mutuam beneuolentiam & a-

& amorem. Matrimonium enim à Deo ita inſtitutum, tamque valide duos coniungit, vt nulla lex humana, conſuetudo, tyrannis, morbus, caſus, infortunium, aliauè quæuis cauſa eos ſeparare queat. Non diſiungunt morbi fœditas, non lepra, non peſtis, non furor, inſania, ſterilitas, lues venerea, ſenectus, paupertas, fames, aut alia quæcunque corporis incommoda; non vitia animi, iracundia, gula, prodigalitas, vitilitigandi libido, dicacitas, & quod omnium grauiſſimum, non ipſa hæreſis. Et demus aliquid interuenire poſſe, quod coniuges toro ſeparet, nihil vnquam accidet, quod vinculum vere diſrumpat. Sique legitima de cauſa ſeiuncti vixerint, quis iſtius ſeparationis rationes ita probabit, vt non iudicet multo illos facturos melius ſi rurſus ſibi concilientur, & inueteratam deponant inimicitiam? Adeo, vt licet æqua iudicis interceſſerit ſententia, vulgo tamen habeantur quaſi infames. ita vt niſi res omnino lateat, aut abierit in obliuionem, reijciendi ſint à publicis functionibus, nec homo honoratior eis familiariter vti velit.

Reliquum eſt, quoniam vni cum vna conuiuendum commoriendumque, vt hanc neceſſitatem quiſque ſtudeat leuiorem reddere, preſidiaque comparet quibus iſtud quidquid eſt, moleſtiarum & doloris perferat: Cumq; nihil magis aſpera dulcoret quàm amor, illum mu-

tuo

tuo quam maxime fouere oportet: felixq; neceſſitas quæ ad hunc honeſtum & coniugalem impellit. Interim id attentiore conſideratione dignum, Adamum ſomno fuiſſe ſopitum, cum ex eo Deus Euam ædificaret coniugem: quia niſi ſomnus mentem occupet, vir ſapiens vix ſe coniugio implicauerit. At vbi alea iacta fuerit, feras non culpes quod vitare nulla ratione potes. Neque moroſa cogitatione animum diſcrucias, quod non bene elegeris, quod cum alia nactus fuiſſes fortunam lautiorem, & multa eiuſcemodi verſes animo: vni dediſti fidem, & hæc eſt irreuocabilis. Vnde ſi ad ſummam in hac vita felicitatem aſpiras, tua ſorte, tua coniuge eſto contentus. Quis non eorum indignatur ſiue arrogantiæ ſiue inſaniæ, qui ſe ijs natos parentibus dolent, qui eos genuerunt, & ad alium natiuitatis gradum ſiue ordinem fruſtra aſpirant? cum tamen non ijdem ipſi qui ſunt, fuiſſent futuri, ſed longe diuerſi, ſi ab alijs parentibus contigiſſet procreari. Quis, inquam, non rideat, ſi quis naſcendi neceſſitatem intemperanter culpare auſit, quæ ſub electionem nō cadit, & Diuinam prouidentiam quaſi perſtringere? Quid vero dicemus de ijs, qui non naſcendi neceſſitate, ſed vltronea & ſpontanea voluntate & electione ſe coniecerunt in vincula matrimonij? Et quaſi illa longis querelis & impatientia atteri poſſint, non ceſſant incul-

pare

pare neceſſitatem. Miſerum hominum genus! Non quidem id ſacroſancto matrimonij vinculo imputare debent,ſed ſuis vitijs,prauisq; moribus. Neque enim vlli viro bono obtigit mulier adeo mala, vt ad officium reduci nulla ratione queat; nec niſi mulieri malæ vir odioſus, intolerabilis,aut omnino improbus eſt.

Matrimonium non diſſentionis aut rixarum ſeminarium,ſed cōſtantis & feruentiſſimi amoris ſeges: habentque coniuges incitamenta & fomenta amoris efficaciſſima, niſi illa vitijs ſuis & improbitate extinguant. Inſtitutum enim à Deo matrimonium, in mutuum auxilium, bonum prolis,& medicamentum libidinis.

Primus,inquam, matrimonij finis, & ingens illius bonum, eſt vitæ ſocietas, indeque prouenięns auxilium & ſeruitium mutuum. Vnde etiam ſenes ſterilesq; honeſtiſſima de cauſa contrahere poſſunt, quod humanæ vitæ auctore Deo conueniens ſit,multumque expediat,illam non ſolitarie traducere. Cùm enim Adamo efformato, reliquis animantibus Deus prouidiſſet,ait: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Et quia nulla ſanguinis vel cognationis tanta connexio, nulla hominum ſocietas ita arcte confœderata,vti coniugium: vir enim propter vxorem iubetur patrem & matrem derelinquere, & adhærere vxori ſuæ, ſimiliter & vxor maritum ſequi præ omni-

omnibus; fueruntque prius coniuges quam vllus pater aut mater exiſteret: hinc liquido patet maiora eſſe fœderis coniugalis emolumenta & commoda, quam vllius alterius coniunctionis vel ſocietatis. Veniamus ad ſingularium rerum probationem, & inductione quadam id oſtendamus.

In primis, ecquid in vita humana poteſt accidere optabilius, quam vt quis nanciſcatur verum amicum, quicum ſine inuidia, contentione aut rixa, pergat in inueſtigatione veræ ſapientiæ, mutuaque contentione ad virtutem? Et, poteritne fieri vt iſti non ſe inuicem diligant? At probi coniuges id faciunt, parique ſtudio in exercitia Chriſtianæ pietatis, quæ ſumma ſapientia, ſanctamq; prolium educationem incumbunt, non niſi ſummo animorum conſenſu, mutuaq; beneuolentia, vnde amor exiſtit.

Quanta deinde felicitas, ſi amicum inueneris, apud quem frontem exporrigere ſecure valeas, intima animi conſilia detegere; apud quē, prout res & occaſio tulerint, iraſcaris, indigneris; gaudeas, triſteris; metuas, ſperes; non ſecus atque ſi apud te ſolum eſſes: nullumque ab eo eſt vel indignationis, contemptus, irriſionis, vel proditionis periculum. Et nonne ex tali amicitia naſcetur amor? Coniuges vero omnia iſta & plura apud ſe inuicem poſſunt, imo debent: & poterunt inuicem non intenſiſſime diligere?

Ad-

Adhæc, ignotos & inuicem numquam viſos eadem domus, menſa, lectus ad mutuam beneuolentiam perducunt. Quomodo vero coniuges amoris expertes eſſe poterunt, quibus non modo illa, ſed omnia fortunæ, corporis & animi, proliumque bona ſunt communia? quibus in vno conformi animo duo corpora, in duobus corporibus vnus animus, vnusque conſenſus? qui aſſidue ab inuicem dependent, idem ſentiunt, loquuntur & tacent? Quid bella, lites, rixas, contentiones, diſſidia inuehit in orbem terrarum? Nonne frigidum illud verbum, Meum & tuum? Et quia bona huius mundi non omnibus ſunt communia, ideo quiſque ea ſibi appropriare ſtudet. Abſcedant igitur, perpetuoque exulent à legitimo connubio omnes eiuſcemodi humanæ peſtes; vbi quidquid vir poſſidet æquâ portione ad vxorem ſpectat, & quæ vxoris ſunt maritum ęqualiter concernunt. vt proſperos rerum ſucceſſus ſibi inuicem inuidere nulla ratione poſſint: contra ſi quid aduerſi alterutri acciderit, id duobus commune fit; commune damnum, commune lucrum; communes diuitiæ, eadem paupertas.

Porro, quis eum non diligat, cuius fauore & opera promotus ſit ad gradum aliquem valde honorificum? Et poterunt coniuges ceſſare ab amore mutuo, qui mutuo fauore & opera

ad honeſtiſſimum matrimonij ſtatum peruenerunt? Excluderetur ſæpè vir à functionibus publicis, ſi perpetuo cælebs viueret; vxori, & ab ea bene educatis liberis debet, ſi promoueatur. Ex merito igitur illi amorem debet, cui omnia alia nihil ſunt in comparatione amoris; nec cetera æſtimat, ſi amari ſe non ſentit. Deſpectui quoque erit femina, ſi innupta maneat; & veluti quoddam naturæ monſtrum æſtimabitur, niſi vel impotens fuerit, vel donum caſtitatis adepta, veſtes deponat ſeculares & ſe Deo deuoueat. At viro iuncta plurimis præeminentijs, honoribus, & dignitatibus communicabit, quem vel ideo amet neceſſe eſt, vtpote melioris ſuæ fortunæ auctorem.

Vix etiam fieri poſſe credo, vt non amemus amicum vel famulum, cui concredere tuto poſſimus pretioſiſſima quæque, & rariſſima: quique illa aſſeruaturus ſit tanquam propriè ſua, omniumque rationem cum fœnore exhibiturus, quoties rogabitur. Et cur non ex hoc capite ſe inuicem coniuges ament quorum alter alteri ſua cuſtodit non ſecus ac ſi vnius eſſent, quæ duorum ſunt? idque in annos plures, cum ſumma fidelitate; imò in totam vitam.

Fit interdum vt aliquem ob diuturna & fidelia obſequia diligamus. Multo magis ſe coniuges amare debent, qui inuicem & diutiſſime & fideliſſime ſeruiunt. Quis ægrotáti aſſiſtit vt

vxor? condolet, fouet, blanditur, ingemit omnemque lapidem reualeſcentiæ mouet? Et vice verſa. Vt nihil dicam de alijs naturæ neceſſitatibus, quæ ſemper alienam implorant opem, eamque fidam cum ſtipulatione ſilentij, nec poſtea exprobrationem beneficij metuant. Externi & interni omnia peragunt vt alieni, vxor tamquam propria, & quæ mariti vt ſua curet: viri onera non ſecus atque ſua patienter ferat; & quidquid illi acciderit, ſibi interpretabitur obueniſſe.

Si denique Princeps aliquis vel Rex ingentem theſaurum, quodque illi foret cariſſimum fidei tuæ committeret: nonne omni cuſtodia & diligentia illud aſſeruares? certus quod grauiſſimam pœnã incurreres id ſi negligeres, accepturus præmium, ſi bene cuſtodias. Tu vero, marite, decreto Diuino vxorem adeptus es, & quaſi de manu ipſius pretioſum accepiſti depoſitum: caue ne illud male cuſtodias, imminuas, aut proteras: illius quandoque exigetur ratio. Memineris adiutorium & ſolatium vitæ, non mancipium vel famulã, ſed dominam domus, matremfamilias. Vnde Eua non de capite, vel pedibus, ſed ex latere formata tamquam ſocia.

Alter matrimonij finis, ſunt proles. Deus primo coniugio benedicens ad id hortatur: Creſcite & multiplicamini & replete terrã. Quanta vero hinc occaſio mutui amoris! Cum enim homo

homo creatus ſit immortalis, nihil æquè illi à natura ingenitum atque immortalitatis cura. Hinc videmus plures etiam de infima plebe via qua datur & qua non datur aliquam ſui apud poſteros quærere memoriam. Hoc fine docti libros condunt, Iouisqúe inſtar fetum edunt ex cerebro. Atque vtinam quamplurimos hic ardor diſtineat vel ideo, quia nemo non legendo ſcribendoqúe ſapientior euadit; aut minimum, à minis vtilibus & ſæpe noxijs auocatur animus. Scribunt, inquam, non tam ſibi quam poſteritati, eamqúe ſibi hac ratione demereri ſtudent. At ſi verum fateri velimus veluti nonnulli parentes liberos generant imbecilles, deformes, aut morbidos, quiq; parentes moriendo præcedant; ita non pauci excluduntur libri, quos vix in lucem editos obliuio & interitus ſepelit. Contingit etiam nonnullis, quod parentibus numeroſa prole grauatis, vt optent à ſe edita & ſcripta non edita, cumqúe voce perijſſe. Alij dum molem commentationũ ſuarum nonnunquam aſpiciunt, dolentes querelantur quotidie accreſcere ignorantias ſuas. Non pauci quaſi alendis proſpiciendisqúe editis à ſe fetibus non ſufficiant, amplos margines reliquunt ad annotandum corrigendumque; & tamen poſtea plerumque nihil adſcribunt vel immutant: quo facto oſtendunt ſe animo quidem multa libris deſignaſſe ad ornatum & elegan-

tiam; ſed vel moleſtia ſtudiorum deterritos, vel ex ingenij inopia manum ſuſtuliſſe de tabula. Atque vt hic nimium elatio, & ob ſcientiæ opinionem de immortalitate nominis ſibi blandientibus frigidam affundam, vel ſaltem ſcrupulum injiciam: audi quid moneat Hebræorum Sapientiſſimus, Quot ſunt, quotq; fuêre, quotquot poſt alijs erunt in annis *Eccl. 1.* Quid eſt quod fuit, ipſum quod factum eſt? ipſum quoque faciendum eſt? nihil ſub Sole nouum, nec valet quiſquam dicere: ecce hoc recens eſt, iam enim præceſſit in ſæculis quæ fuerunt ante nos. Non eſt priorum memoria, ſed nec eorum quæ poſtea futura ſunt, erit recordatio apud eos, qui futuri ſunt in nouiſſimis. Moritur doctus ſimul & indoctus. Ex quibus legitime inferas etiam omnes ſcientias & artes morti & obliuioni obnoxias; neque perpetuo inhærere animæ, ſed vna cum morte tranſire in mortem: quia omnis plantatio quam non plantauit Pater cæleſtis, eradicabitur. Tantum abeſt vt ſcientia animæ adferat immortalitatem, ſed iſthæc per tranſennam.

Tantus repeto nobis eſt ingenitus poſteritatis amor, vt animus etiam perditus & expers bonarum artium atque adeo à iuſtitiæ lumine alienus malis artibus ſibi aditum moliatur ad famam tam diuturnam, vt apud poſteros etiam celebretur. Teſtis Eroſtratus qui templũ Dianæ Ephe-

Epheſinæ incendit, opus omnium præclariſſimum, à tota Aſia annis ducentis ædificatum, tantum quo famam apud poſteros etiam turpiſſimam adipiſceretur. Et quamuis ſeueriſſimis legibus cautum fuerit, ne quis eius nomen verbo vel ſcripto exprimeret, tamen quod intendit, aſſequutus eſt, nomine eius per tot retro ſæcula ad nos tranſmiſſo. Malebat peſſimæ eſſe famæ quam nullius. Pauſanias, vt hiſtorijs, & rerum à Philippo Macedonum Rege geſtarum monumētis inſereretur, Philippū obtruncauit.

At quibus nobilior in corpore ſanguis, menſque recta, immortalitatem rectè factis aſſequi ſtudent: Hinc bellicam ciuilemque gloriam ſibi præfigunt; vt cum Cæſare aliquo aut Cicerone in theatro ſpectari poſſint. Pollentes diuitijs conantur inclareſcere ſtructis in altum ædificijs, ſumptuque priuato ſibi Rempublicam demerentur. Nonnulli adnumerata pecunia longæuitatem quandam à cælatoribus, pictoribus, ſtatuarijs, plaſtis, cripticis, & id genus artificibus emunt, qui eos ære, penicillo, marmore, gipſo, gemmis ad viuum exprimant, memoriamque conſeruent. Hac de cauſa Abbas quidam prædeceſſores ſuos curauit depingi: ſed cum nonnulli antiquorum viuæ deeſſent imagines, depingebantur Seniores ex Religioſis habitu Abbatiali. Quidam ex ijs vir doctus & facetus negauit ſe depingi velle: vt quid, aiebat,

perditio hæc? ſi forte mortuo *Prælato* noſtro ipſe Abbas elegat? Redeamus in orbitã. Ecquid magni homines prodit, immortalitatis amantes & ſtudioſos, quam quod parentes impenſius nepotes ex liberis, quam liberos diligant, quiq; à ſe poſtremo ſunt geniti: nec eſt parens cui nõ ſit ſuus Beniaminus carior ceteris, vtpote diutius in eo victuro. Atque hinc cum animo ſtatue, quandoquidem vt cæteri mortales, immortalitatis cuiuſdam ſis appetentiſſimus, an non plurimum beneuolentiæ & amoris vxori debeas, quæ tibi peperit quo diutiſſime viuas, nomenque extendas, imo multis ſæculis perpetuare poſteritatem tuam poſſis. Nec bonus ciuis tibi patriam obligare potes niſi auxilio vxoris, per quam augetur & decoratur reſpublica.

Adhæc certiſſimos tibi educat honoris pariter ac nominis diuitiarumque heredes: quibus non habitis vaniſſimum pronuntiat Sapiens laborare & opibus augẽdis vacare. Quos enim ex aliena muliere genueris, heredes eſſe non poſſunt. Ipſe Saluator noſter, æterna Dei Sapientia, quamuis naſci de Virgine dignatus ſit, matrem habere non voluit niſi coniugatam. Hinc illegitimæ proles patri potius ſunt dedecori & oneri, & nonniſi teſtes olim commiſſi flagitij, nimisquam rara auis in terris filius illegitimus non agens perperam: quin iure quodam ſuo vti videtur, ſi agat nequiter. Et vt alia

qua-

quacunque ratione inclareſcas, editis in publicum libris, poſſeſſionibus, ædificijs, belli gloria, rebus præclare pro Republica geſtis: tamen nemo diffitebitur quin illa laud·tiſſima ſit pręclari nominis propagatio quæ fit per filios paternam æmulantes gloriam: quos vxori poſt Deum debes. Libri non raro ſcribentis animũ affectusqúe produnt: at quis ignorat etiam à malis bonos, ſanctos ab hypocritis, modeſtiæ plenos à ſuperbis, ab iracundis placidos, & placabiles libros emanaſſe? paternũ raro vultum, corporis lineamenta, affectus animi, ita plerũque liberi exprimunt, vt fruſtra eo quæuis ars aſpirauerit, pictoria, celatoria, ſtatuaria, & reliquæ. Neque eſt in hac rerum natura quidpiam quod tam valide parentis memoriam refricet & conſeruet, atque illi qui ex eo geniti.

Videamus etiam in quos præcipua beneuolentiæ ſignificatione feraris, quoſqúe ratione liberorum diligas. Nunquid nutrices, famulos, pædagagos, magiſtros? ſed hi omnes ſimul nõ tantum impenderunt laboris & induſtriæ, multo minus ſuſtinuerunt doloris & faſtidij quam vna mater. Et hanc ſolam amoris tui expertem ſines, quę ſola ſeminauerit, reliqui fecerint meſſem? non tam attendendum quantum quis in formandis puerorum moribus, animoq; componendo profecerit, quam quantus adhibitus ſit labor & conatus. Niſi mater prælaboraſſet,

fruſtra Pædagogi & Magiſtri conati fuiſſent finem imponere. Faciunt matres quod in ſe eſt, quamuis ſucceſſus labori non ſemper reſpondeat: nemo optimæ illarum imputet voluntati, ſi quid ſecus quam par eſt, faciant: id imbecillitati ſexus, maternoqúe affectui indulgendum; quæqúe facilius gignere & educare proles poſſint, non æquè mores & diſciplinas adijcere. Iam vero ſi liberos tuos, bellulos & ſcitulos, ſuaues & blandos, moratosqúe diligas: quî poteris illorum matrem odiſſe, quæ potiorem ſui partem in ijs habet? quæ nouem menſibus in vtero aluit, in lucem editos lactauit? Quis præterea neget maximum Dei donum eſſe habere liberos? neque enim illos generare ita viri & mulieris opus, vt benedictio Dei abeſſe poſſit. Vnde Rachaëli importunius vterum à Iacobo Patriarcha efflagitanti reſponſum eſt: numquid pro Deo ego ſum qui te concluſit? longe certe myſterio matrimonij merita naturæ ſuperantur: Neque iſto Dei dono abſque coniuge frueris. Quos aliunde genueris non matrimonij fructus, ſed ſolius naturæ effectus computabuntur. Hinc filij extra matrimonium à perſonis liberis procreati, filij naturales appellari ſolent.

Si denique ex vxore liberos ſuſtuleris, illiqúe familiam auxerint, eris quaſi Rex quidam in domo tua, & paruam quamdam habebis rempublicam;

licam;

licam: Leges ſtatues, iubebis, vetabis quod viſum fuerit: tua tueberis, alienas iniurias propulſabis, omnia gubernabis; & nullo negotio œconomiam, politiam, aliasque præclariſſimas artes, vſu & experientia diſces, non ſine ſenſu quodam lætitiæ, dum vxorem tibi amantiſſimam quotidie habebis ob oculos, liberosque tuos veluti paruulos ciues à nutu tuo dependere videbis: & hoc regimine priuato publicis functionibus quaſi præludes. Si enim negat Apoſtolus eum rite Eccleſiam gubernare poſſe, qui non prius diligentem domus ſuę curam habuerit: minus idoneus eſt, qui præſit ciuibus ſi vxorem, liberosque, & rem priuatam regere necdum didicerit.

Tertium matrimonij bonum, quod ſit, ſi nõ omnimoda cõcupiſcentiæ medicina, magnum illius refrigerium & temperamentum: vt coniuges inuicem frui poſſint, libidinemque exſtinguere citra reatum: non quidem in voluptifico illo ſubſiſtẽdo, quod & in ipſis peccaminoſum foret, ſed vlterius referendo, nempe ne altera pars peccet, ſi hoc caritatis beneficium negetur. Ex pura S. Auguſtini & fundata doctrina, peccare quidem coniuges poſſunt immoderate debitum petendo, non reddendo: ſique pars vna alteri ſuccurrat in remedium incõtinentiæ non peccant, etiamſi præter cauſam procreandæ ſobolis inuicem miſceantur. Hinc Apoſto-

lus præcipit, vt ad euitandam fornicationem quælibet mulier habeat ſuum virum, & quilibet vir ſuam mulierem; & vt illæ quæ ſe non continent, nubant. Vultque iuniores viduas, ſi adſit periculum incontinentiæ, nubere, matresfamilias fieri, filios procreare, ne qua detur aduerſario maledicti gratia. Addit præterea, mulierem non habere poteſtatem corporis ſui ſed virum; ſimiliter nec virum poteſtatem corporis ſui habere ſed mulierem: vt ſi alterutrum morbus incontinendi inuadat, non poſſint inuicem fraudare, niſi ad breue tempus, idque orationis cauſa. Vnde liquet quanto amore coniuges ſe inuicem complecti debeant, quod mutua beneuolentia & obſequio à reatu peccati mortalis ſe liberare queant, quoties illius, idque euidens & manifeſtum periculum ſubeſt. Benepredicatus eſt Dauid Abigaëli quod prudenti ipſius & blandiloquio prohibitus ſit ab effuſione ſanguinis, itæq; frenum inijcere potuerit: adeoq; caſto amore in eam exarſit, vt mortuo Nabale Carmelo, eam ſibi matrimonio copularit. Et vir vxorculã ardentiſſime nõ adamabit, quæ toties quoties mortifera aliàs libido te inuadit, nõ ira ſed æſtu venereo ferues, componit, refrigerat, & extra te poſitum tibi reddit? idque tanta beneuolentia & promptitudine, vt, quo præ alijs feminis tibî placeat, quam ſcitiſſime poteſt, ſe exornet; magnam totius corporis munditiam
affe-

affectet; nec moleſtias graues ſubterfugiat, quò tibi gratificetur; à qua infirmitatis tuæ nullam proditionem timere debeas, aut morbi alicuius contagium? quæ omnia fruſtra à quauis alia muliere exſpectes. Certe ſi aliam quampiam adamare potes, quod tibi obſequioſa in illa carnis fœde prurigine, quanto legitima coniux omni amore & beneuolentia dignior, quæ obſequium numquam, vt meretrices, exprobrabit; non æra poſcet; non tua te ſubſtantia exuet, aut nuditatem tuam coram alijs ſibi magis caris reuelabit; apud quam non vt hoſpes & alienus, ſed inquilinus & dominus conuerſaris? Adde quod illa alium præter te amare, etiamſi poſſit, nolit: nec ab alio amari vult niſi te ſolo, quem pluſquam proprios oculos vitamque diligit.

Sunt qui impenſe ſuis afficiantur medicis, eosque liberali conducunt ſalario, quod ab ijs viſitentur, eorumq; opera præſeruentur à morbis, aut liberētur, quamuis ſæpe ſecent & vrant, nullum remedium ſine patientis nauſea & moleſtia exhibeant. Et quæ periculoſior infirmitas quam illa carnis? quæ ardentior febris quā illa libidinis? Contra hanc domi medicam habes ſuauem & præſtantem, quæ nullam pacta mercedem, etiam cum voluptate huic extemplo mederi poteſt, Æthnæoque illi incendio frigidam affundere. Et poterit tibi medicus aliquis

quis vel chirurgus eſſe carior? Neq; voles tanto tamque parato obſequio vicem mutuam rependere? Dignus profectò qui foris mille vexetur moleſtijs, malaque morte pereat, qui domeſtico remedio vti nolit.

Atque vt ſæpe neceſſe eſt rebus humanis interuenire amara & triſtia, angores & curas, metus & ſolicitudines; ab exteris affici iniurijs: vicinorum perpeti moleſtias; quæ omnia vnus ferre non poſſis: Vbi vero illa melius ſepelies quam apud ſuauiſſimam coniugem, quæ omnia tecum feret, & nouà voluptate veteres te faciet obliuiſci difficultates; ſique omnia triſtia & aduerſa amoliri non poteſt, vultus ſermonisque ſuauitate condiet ſaltem & mitigabit?

His alijsque de cauſis tantus amor eſt coniugium bene moratorum & DEVM timentium, tamque laudabilis & honeſtus, vt nullus in vlla ſocietate humana maior ſit; non inter matrem & filiam, non patrem inter & filios, non inter fratres aut ſorores. Neque enim vlli alij ita ſibi cohærent & intime coniunguntur, vt mulier viro, quæ quædam illius pars eſt, caro de carne, & os de oſſibus. Vnde & idem ſentiunt, loquuntur, tacent; alter ab alterius nutu totus dependet nil vult quod alter nolit; nil reſpuit niſi quod alteri ingratum.

Quan-

Quantum vero, Beneuole Lector, ad hanc commentationem meam de rebus gamicis ſpectat, tam ſpero me ab omni reprehenſionis vmbra remotum, vt vel indè gratiam mihi aliquam polliceri audeam à cordatis & eruditis viris. Cùm enim nihil frequentius in vita ciuili accidat, quàm vt coniuges inter ſe diſſentiant, non eſt extra profeſſionem meam huic malo occurrere, remediaque efficacia præſcribere, quæ ſi quis oportune temperet & exhibeat, laborantesque non reſpuant, non male de Republica meritus cenſeri fortaſſis poſſim. Ideoq; nec laboris, quamuis exigui & leuis, hîc impenſi pœnitet, vt qui meminerim me communis patriæ ciuem.

PROBLEMA CV.

Quâ breuius tutiusquè penetretur in Italiam.

Qvod pictores ductis in tabula coloribus, quod in charta lineis ſolent chorographi, regiones ſcilicet integras, vrbes, flumina, montes, ſiluas ita depingere, vt ea ſpectator coram intueri, & corpore licet abſens, rebus quaſi præſentiſſimus adeſſe videatur: Ageſis, videamus an non eiuſcemodi aliquid ore ſtiloquè aſſequi poſſimus, quod illi, manu & penicillo: idque in deſcriptione regionis

gionis Valeſiæ, quam Româ in patriam rediens perluſtraui, maximoque lætitiæ ſenſu pleraque illius loca vidi. Atque vtinam! per itineris comites licuiſſet ibidem aliquamdiutius ſubſiſtere, ad pleniorem politiæ, morum gentis, geniique cognitionem. Vel enim obiter viſa hæc regio adeo placuit, vt nulla orbis parte lubentius verſatus fuerim. Ea incolarum eſt ingenuitas & candor, vt probos quoſuis facile in ſui amorem pelliceant.

Regio non æque lata atque longa, in vmbelico quaſi totius Europæ iacet, media Italiam inter, Sabaudiam, Heluetiam, & Franciam; breuiſſimuſque per eam, ex Germania, Franciaque eſt tranſitus in Italiam. Ea quamuis ſita inter altiſſimorum montium præcipitia, ſaluberrimo fruitur aëre: aſſiduis fontium ſcaturiginibus abundat, quorũ aliqui potu dicuntur ſalubres, at ego iſtud mihi perſuaderi nõ ſũ paſſus, ex quo plures ibidem vidi ſtrumoſos viros, feminaſq; Colles vini ſatis præſtantis & ſalubris feraces: terra omnis generis olera, leguminaque producit; Hordeum, triticum, linum abunde ſuppetit. Locus venationi, aucupioque aptiſſimus: ſuntque lepores, cuniculi, mures alpini, perdices & cetera id generis innumera. in ſumma, quod vitam humanam ſpectat, præter ſalem, nihil deeſt iſti regioni, quæ omnia ex ſe producit; ſal per lacum Lemanum copioſe aduehitur

tur ex Francia. Viri Valenſes procerâ ſunt ſtaturâ, & plerumque quadrata, robuſti, & viribus validi: Habitu & moribus vix differunt ab Heluetis, nō tamen proprie ſunt Heluetii, ſed Rempublicam habent particularem. Regi quoque Gallorum militant, eique ſocietate, veluti Heluetii iunguntur. Feminarum genus ſatis blandum & ſuaue, non niſi aſperitate quadā à Belgico differens, probum ac pudicum. Ius vniuerſæ regioni dicunt Præfecti per ſuos quique vicos cum Aſſeſſoribus Iuriſperitis, qui à Republica eliguntur & ſæpius mutantur. Caput Reipublicæ eſt Epiſcopus Sedunenſis, qui & Comes & Præfectus Valeſiæ, primumque in Senatu ſuffragium habet, & ſupremę iuriſdictioni præeſt. Ipſum Reſpublica eligit, tam conſtans & fidei Catholicæ retinax, vt nullus ibi publice toleretur hæreticus. Valenſes promiſcue quidem loquuntur linguâ Heluetica, ſed qui Italiæ adiacent, præterea Italice ſciunt: Qui lacui Lemano viciniores, magis gaudent linguâ Gallicâ. Hæc quidem quo ad mores & politiam: nunc ipſum ſitum ob oculos ponamus. Curru igitur Mediolano profecti: varijs itineribus venimus poſt triduum ad oppidum Domdorſtenſe, quod in finibus ſtatus Mediolanenſis ſitum. Hic mutatis equis toto die Alpes conſcendimus natura ipſa viatoribus ſignāte viam. Namque ex altiſſimis & petroſis montibus riuus,

quem

quem madefactæ niues efficiunt, defluens inter petrarum fiſſuras, tantum ſpatij plerumque relinquit, quantum ſatis eſt equitibus, vt ſinguli tranſeant: & peregrinos ad illac penetrandum maximi illi riui, quaſi vltro vocent, ingens per ſaxa & ex præcipitijs murmur edunt, & neſcio quem concentum muſicum. Neque enim ibi alia via quam illa deſignata decurſu aquarum. Domdorſtio igitur primo mane profecti ſub occaſum ſolis venimus in montē S. Pionis, vulgo Sampion, primum Reipublicæ Valenſis vicum, exiguum quidem, ſed oportuniſſimo loco ſitum propter tranſeuntes, trans Alpes inacceſſas, & perpetua niue candicantes. Hic pernoctauimus, & primum didici ſuper cœna, quod genus animalis eſſent mures Alpini: hos incolæ Marmottas vocant; ſapore cuniculos, forma glires referunt, niſi quod adipe abundent. Et nota, quamuis pridie toto equitauiſſemus die, necdum tamen in ſummum Alpium cacumen penetraueramus, ſed rurſus mutandi fuerunt equi, atque inde oriente Sole digreſſi vſq; ad horam diei decimam, idq; menſe Iulio, continenter aſcendimus, priuſquam conſtitimus in ſummo. Ibi quaſi ex altiſſima rupe, ita ex præcipitio Rhodanum deſpeximus, qui ex liqueſcentibus niuibus auctior viam in Valeſiam demonſtrat, ſed adeo præceps, & tumultuoſus, vt primo aditu horrori ſit auribus oculiſq;. Trium horarum

deinde

deinde ſpatio, flumine illo quaſi viæ duce deſcendimus inter eminentium ſaxorum cripidines, & viarum anguſtias. Alpes ſupra in terribilem altitudinem ſe attollunt, infra Rhodanus quaſi in infernũ ſubſidit, vt nec oculos ſurſum, nec deorsũ ferri ſinas, ſine palpitatione quadã cordis, totiusq; corporis horrore, maxime vbi exiguis pontibus iungitur, & eminus quaſi ex indignatione quadam obmurmurantem audis, maxime vbi molarum, quibus ferrum excoquitur, rotis, varijsq; obſtaculis coërcetur. Poſtremo, hoc defuncti periculo, deſcendimus in altiſſimum montem forma fere ſemicirculari, nec mirare ſi dicam nos deſcendiſſe in montẽ, quia alij etiam altiſſimi inſtar exiguorũ ſunt collium, comparati cum petroſis & ſaxeis illis Alpibus. quæ ab ipſo Rhodani lapſu altas & rectiſſimas dumtaxat pinus ferunt. E quibus, prò Deus! quantum Valeſiani perciperent emolumentũ, ſi in rates cõpingi, & ſecundo flumine dimitti poſſent per lacum Lemanum, atque inde in vicinas vrbes, Galliamq; deuehi: Sed obſiſtunt immania ſaxa, & horrenda pręcipitia, quę ingẽtem illum fluuium prorſus præpediunt, & innauigabilem reddunt; vſq; adeo vt ne quidem vlla lignorum cõgeries vehi poſſit ſine euidenti periculo, quin millies allidatur, atq; in minutas partes diſſiliat. Alias innumeræ iſtæ arbores nõ alteri rei deſeruiunt, niſi vt adultæ abſcondito

terta igni vertantur in acapnos carbones. Atq; ibidem didici, quod ait Poëta:

——*feriunt ſummos fulmina montes.*

Adeo enim ibi cæleſtis ira detonuerat, vt pluſquam tria arborum millia præ ſe ferrent aduſtionis notas: equitauimus pluſquam per mediæ horæ ſpatium, quò manifeſtiſſimis indicijs apparebat fulmẽ deſæuijſſe. At nunc inde quò retrogreſſi ſumus, in ſemicircularem illum altiſſimum montem redeamus. Ex illo dum girando, & quaſi per cochleam deſcendimus, ecce protinus oculis noſtris ſe obtulerũt quatuor elegantiſſima opidula, in amœniſſima valle ſita, vnde Valenſi regioni nomen ſcilicet ab hac aprica & ſpecioſa valle: Quæ opida, non niſi paucis millibus ab inuicẽ diſiunguntur. Quodque in ipſo montis pede ſitum (incolæ Brigam vocant) intrauimus, tempusq; fuit, equorum ſpumantia ſoluere colla. Tu vero, amice Lector, iam mecum concipe, Valeſiam ſe habere inſtar quercus, vel cuiuslibet arboris coma trũcatæ: ſic illa iacet inter præruptos & eminentiſſimos montes, qui tamen à Valenſibus inhabitantur ſatis frequenti numero: videturq; illa, vt ſic dicam, arbor habere ex duobus lateribus quaſi prodeuntes ramos, id eſt, alias quaſdam planities & valles, quibus induſtrij homines habitant, & anguſtis vijs in maiorem illam vallem vltro citroque commeant. Adeo vt ad fanum

S. Mau-

S. Mauritij, opidum inter altiſſimam rupem & Rhodanum ſitum, cũ veniſſemus, atq; ab hoſpite varia quæreremus, inter cetera, iſtud etiam me rogauit: videsne, inquit, iſtam elatã & præruptam rupem quæ opido noſtro imminet? video, inquam, & exſpecto quid vltra rogaturus ſis. Crederesne, mi Belga, in illa vel exiguam caſulam, vel hominis veſtigium? at inde paucarũ horarum ſpatio educã trecentos armatos viros, fortes, & manu promptos. Nec ita diu eſt quod ex Republica noſtra, abierunt nouem legiones pedeſtres militiam, conductæ ſtipendijs Regis Chriſtianiſſimi. Non tu, inquit, bone vir, primus id miraris: vix vlli exteri crediderint, tam anguſta valle tot homines degere: Et quæ noſtra potior felicitas, licet frequentes incolæ ſimus, quod pauci ad totius Reipublicę defenſionem & cuſtodiam ſufficiant. Diſiectis ſiquidem paucis põtibus, quibus ex Italia, Sabaudia, Heluetiaq; adimur, vel trecentæ ex noſtris feminæ, armatæ ſaxis, prohibeant copioſiſſimos virorũ exercitus. Adeo natura nos vndiq; circumſepſit alpinis mœnibus, contra quorumcunque hoſtiles incurſus. Plura parabat dicere: at agaſo ad conſcendendum vrgebat. Eſt vallis hæc, à parte Sabaudiæ inter montes S. Bernardi, vt vocant, ſita, & ex altera Heluetìcos: Qui altitudine immenſa prẹditi, & quaſi diuina quadam cura disiuncti, in medio complectuntur locum, cuius

longitudo ad triginta Leucas porrigitur, id eſt, à Briga ad lacum Lemanum. Latitudo vero in alijs partibus Leucam, in alijs etiam paulo plus minusuè habet. Per hanc planiciem ruit potius quam labitur Rhodanus, in quem reliqui fluuij, ex vtrimq; ſitis montibus influunt, & aquam ei copioſam ſubminiſtrando magnum efficiunt. Hic locus varia & omnis generis oblectamenta habet, partim ſpontanea naturæ opera producta, partim induſtria incolarum. Nam in eo vineæ elegãtes, omnis generis arbores pomiferæ, olera, legumina, paſcua, agri, luci, pergulæ ex vitibus, ſub quibus viatores ab æſtu ſolis tuti deguñt, ſuauiterq; carpunt viam. Media valle ſita eſt metropolis, quam Sedunum vocant, vetus Epiſcoporum ſedes, quæ duabus arcibus in rupe ędificatis munitur, quas Epiſcopus inſidet, & pręſidio munitas tenet. Sunt vniuerſim, ſi recte calculum ponam, præter frequentiſſimos vicos & pagos, qui tota valle quaſi ſparſa iacent, opida omnino duodecim, exceptis arcibus, alijsq; propugnaculis tam induſtriâ hominum quam naturæ prouidentia & benignitate factis. Vltimus vicus iuriſdictionis Valenſium eſt Bouillium, ſitus ad lacũ Lemanum, cuius ripa ad Leucam ſpectat ad Valenſes, reliquũ ad Sabaudum. Atq; hinc ſuauiſſima eſt nauigatio Geneuã, per placidum illum & quaſi criſtallinum lacum. Altiſſima, & vt ita dicam, æterna pace fruuntur

Valen-

Valenſes: nec maiorem felicitatem(ſi eâ maior dari queat)aliasq; commoditates alijs inuident nationibus,ipſi perpetuo cōtēti ſuis,ſibi à natura aſſignatis terminis, & qui inuadi nulla externi principis potētia poſſint. Vna ipſis eſt aſſidua pugna cum Rhodano, qui imbribus niueq; tumeſcens longe lateq; damna toti Regioni quādoq; infert: Et huius continendæ violentiæ & exundationis,omnis incolarum deſudat labor, nec ad aliud vllæ fiunt exactiones operariæ niſi ad reſiſtendum flumini; pecuniariæ nullæ ſunt; ſed vnuſquiſq; ſub vite ſua & ficu tranquille ſedet, & bonis ſibi à Deo conceſſis fruitur, nullo ære grauatus publico. Liberrima &felix Reſpublica,cui ego apprecor omnia quam feliciſſima, & quam maxime diuturna, hocq; exiguum illi mnemoſynon exterus pono in gratitudinē benigni hoſpitij. Vnum modo queror,equos conductu nimis caros, nec ſufficienter commoditatibus itinerantium prouiſum, cui tamen, vix vllo negotio,Reſpubl. mederi queat. Alioquin breuiſſima iſtac ſecuriſimaq; via eſt in Italiam, nec forte quempiam pœnitebit vidiſſe Valeſiam, cuius animo inſederit peregrinari.

Tenue vero hoc de Valeſia ſcriptum,Prēclariſſime Domine Godefride Typoēts, Patrone colendiſſime, paulò elegantius prœli beneficio ad te redit,quod tui cauſa primū edidi. Quamuis enim nō in eum finem conceperam vt pub-

lica donaretur luce: attamen vbi ex te intellexi gratum fore, ne omnino pereat; cum rebus nuper per occaſionẽ prolatis, vt veſtro, id eſt Iuriſdeptorum more loquar, aliquod quærerem non quietis & ceſſationis vt tum ſolet, ſed curarum & ęrumnarum diuerticulum, arripui quę offerebatur ſcribendi materiam, eoq; libentius, quod Hiſtoricum iſtud Problema non infacete ſubnecti poſſe videbatur. Speroque ſi non à ſe, aliquam à beneuola Seruatoris ſui manu obtinebit gratiam. Atque ideo redire iubeo, vnde auſpicium vitæ ſumpſit, beneficiumq; agnoſcere. Ceterum rebus iam aliqualiter cum bono Deo reuerſis, dabimus operã, vt aut nobiſipſis omni omnino litterarum commercio poſthac interdicamus, aut potioribus adhibeamus calamum.

PROBLEMA CVI.

De Pythagora.

AT quoniam inſtant Saturnalia, adiungam ſportulę loco epiſtolam Erycio Puteano à me ſcriptam, paulo antequam ſummus ille Vir poſita mortalitatę natiuo redonaretur cælo.

Quoties cum animo meo reputo, Vir Ampliſſime, quam exacta ſit Vendelini noſtri eruditio, quem admirari quidem poſſumus omnes, pauci

pauci imitari, certe ex iuſto nemo reprehendere, ingenti afficior lætitia, communique vtriuſque noſtrum patriæ gratulor, quæ meritò exultat & ſuperbit tanto ciue & alumno. At iſthæc hactenus. Perlegi, quo me abeuntem donaſti munere, ipſius ad te epiſtolam vere elegantem, & quam auro non permutauerim. In ea diſſerit de tetracty Pythagorico, validiſque rationibus, & coniecturis non aſpernandis illum genti Iudæorum adſtruit, vultque fuiſſe proſelytum, & ſacris Iudæorum initiatum: vnum agnouiſſe Deum, ſacrasque legis Moſaicæ obſeruationes edoctum, pulcherrima morum præcepta, & arcana Diuinæ legis incruſtaſſe fabellis. Iſtud vt credam, quamuis me eò ſatis inclinent, quæ Vendelinus, incomparabilis doctrinæ vir, attulit: attamen magis propendeo ob alia, illi non dubito viſa & obſeruata, ſed forte neglecta. In primis, qua de cauſa dicemus Pythagoram abſtinuiſſe perpetuò carnibus, illarumque vſu interdixiſſe ſuis ſequacibus; niſi quod Iudaicas ceremonias amplexus carnibus vniuerſim abſtinere maluit, quam vt ſuilla ſe contaminaret? Olera, leguminaque ad vitæ neceſſitatem delegit, niſi vt legi Dei morē gerens, Danielis Prophetæ, quem magiſtrum habuit & inſtitutorem (fuerunt enim Synchroni, vt Vendelinus liquide demonſtrat) abſtinentiam, victuſquę parſimoniam æmularetur? Et hinc à profanis homini-

gionis Valeſiæ, quam Româ in patriam rediens perluſtraui, maximoque lætitiæ ſenſu pleraque illius loca vidi. Atque vtinam! per itineris comites licuiſſet ibidem aliquamdiutius ſubſiſtere, ad pleniorem politiæ, morum gentis, genijque cognitionem. Vel enim obiter viſa hæc regio adeo placuit, vt nulla orbis parte lubentius verſatus fuerim. Ea incolarum eſt ingenuitas & candor, vt probos quoſuis facile in ſui amorem pelliceant.

Regio non æque lata atque longa, in vmbelico quaſi totius Europæ iacet, media Italiam inter, Sabaudiam, Heluetiam, & Franciam; breuiſſimuſque per eam, ex Germania, Franciaque eſt tranſitus in Italiam. Ea quamuis ſita inter altiſſimorum montium præcipitia, ſaluberrimo fruitur aëre: aſſiduis fontium ſcaturiginibus abundat, quorũ aliqui potu dicuntur ſalubres, at ego iſtud mihi perſuaderi nõ ſũ paſſus, ex quo plures ibidem vidi ſtrumoſos viros, feminaſq; Colles vini ſatis præſtantis & ſalubris feraces: terra omnis generis olera, leguminaque producit; Hordeum, triticum, linum abunde ſuppetit. Locus venationi, aucupioque aptiſſimus: ſuntque lepores, cuniculi, mures alpini, perdices & cetera id generis innumera. in ſumma, quod vitam humanam ſpectat, præter ſalem, nihil deeſt iſti regioni, quæ omnia ex ſe producit; ſal per lacum Lemanum copioſe aduehitur

tur ex Francia. Viri Valenſes procerâ ſunt ſtaturâ, & plerumque quadrata, robuſti, & viribus validi: Habitu & moribus vix differunt ab Heluetis, nō tamen proprie ſunt Helueti, ſed Rempublicam habent particularem. Regi quoque Gallorum militant, eique ſocietàte, veluti Helueti junguntur. Feminarum genus ſatis blandum & ſuaue, non niſi aſperitate quadā à Belgico differens, probum ac pudicum. Ius vniuerſæ regioni dicunt Præfecti per ſuos quique vicos cum Aſſeſſoribus Iuriſperitis, qui à Republica eliguntur & ſæpius mutantur. Caput Reipublicæ eſt Epiſcopus Sedunenſis, qui & Cōmes & Præfectus Valeſiæ, primumque in Senatu ſuffragium habet, & ſupreme iuriſdictioni præeſt. Ipſum Reſpublica eligit, tam conſtans & fidei Catholicæ retinax, vt nullus ibi publice toleretur hæreticus. Valenſes promiſcue quidem loquuntur linguâ Heluetica, ſed qui Italiæ adiacent, præterea Italice ſciunt: Qui lacui Lemano viciniores, magis gaudent linguâ Gallicâ. Hæc quidem quo ad mores & politiam: nunc ipſum ſitum ob oculos ponamus. Curru igitur Mediolano profecti: varijs itineribus venimus poſt triduum, ad oppidum Domdorſtenſe, quod in finibus ſtatus Mediolanenſis ſitum. Hic mutatis equis toto die Alpes conſcendimus natura ipſa viatoribus ſignāte viam. Namque ex altiſſimis & petroſis montibus riuus,

quem

quem madefactæ niues efficiunt, defluens inter petrarum fiſſuras, tantum ſpatij plerumque relinquit, quantum ſatis eſt equitibus, vt ſinguli tranſeant: & peregrinos ad illac penetrandum maximi illi riui, quaſi vltro vocent, ingens per ſaxa & ex præcipitijs murmur edunt, & neſcio quem concentum muſicum. Neque enim ibi alia via quam illa deſignata decurſu aquarum. Domdorſtio igitur primo mane profecti ſub occaſum ſolis venimus in montē S. Pionis, vulgo Sampion, primum Reipublicæ Valenſis vicum, exiguum quidem, ſed oportuniſſimo loco ſitum propter tranſeuntes, trans Alpes inacceſſas, & perpetua niue candicantes. Hic pernoctauimus, & primum didici ſuper cœna, quod genus animalis eſſent mures Alpini: hos incolæ Marmottas vocant; ſapore cuniculos, forma glires referunt, niſi quod adipe abundent. Et nota, quamuis pridie toto equitauiſſemus die, necdum tamen in ſummum Alpium cacumen penetraueramus, ſed rurſus mutandi fuerunt equi, atque inde oriente Sole digreſſi vſq; ad horam diei decimam, idq; menſe Iulio, continenter aſcendimus, priuſquam conſtitimus in ſummo. Ibi quaſi ex altiſſima rupe, ita ex præcipitio Rhodanum deſpeximus, qui ex liqueſcentibus niuibus auctior viam in Valeſiam demonſtrat, ſed adeo præceps, & tumultuoſus, vt primo aditu horrori ſit auribus oculiſq;. Trium horarum deinde

deinde ſpatio, flumine illo quaſi viæ duce deſcendimus inter eminentium ſaxorum cripidines, & viarum anguſtias. Alpes ſupra in terribilem altitudinem ſe attollunt, infra Rhodanus quaſi in infernũ ſubſidit, vt nec oculos ſurſum, nec deorsũ ferri ſinas, ſine palpitatione quadã cordis, totiusq; corporis horrore, maxime vbi exiguis pontibus iungitur, & eminus quaſi ex indignatione quadam obmurmurantem audis, maxime vbi molarum, quibus ferrum excoquitur, rotis, varijsq; obſtaculis coërcetur. Poſtremo, hoc defuncti periculo, deſcendimus in altiſſimum montem forma fere ſemicirculari, nec mirare ſi dicam nos deſcendiſſe in montẽ, quia alij etiam altiſſimi inſtar exiguorũ ſunt collium, comparati cum petroſis & ſaxeis illis Alpibus. quæ ab ipſo Rhodani lapſu altas & rectiſſimas dumtaxat pinus ferunt. E quibus, prò Deus! quantum Valeſiani perciperent emolumentũ, ſi in rates cõpingi, & ſecundo flumine dimitti poſſent per lacum Lemanum, atque inde in vicinas vrbes, Galliamq; deuehi: Sed obſiſtunt immania ſaxa, & horrenda pręcipitia, quę ingẽtem illum fluuium prorſus præpediunt, & innauigabilem reddunt; vſq; adeo vt ne quidem vlla lignorum cõgeries vehi poſſit ſine euidenti periculo, quin millies allidatur, atq; in minutas partes diſſiliat. Alias innumeræ iſtæ arbores nõ alteri rei deſeruiunt, niſi vt aduſtæ abſcondito

N terra

terra igni vertantur in acapnos carbones. Atq; ibidem didici, quod ait Poëta:

——— *feriunt ſummos fulmina montes.*

Adeo enim ibi cæleſtis ira detonuerat, vt pluſquam tria arborum millia præ ſe ferrent aduſtionis notas: equitauimus pluſquam per mediæ horæ ſpatium, quò manifeſtiſſimis indicijs apparebat fulmẽ deſæuijſſe. At nunc inde quò retrogreſſi ſumus, in ſemicircularem illum altiſſimum montem redeamus. Ex illo dum girando, & quaſi per cochleam deſcendimus, ecce protinus oculis noſtris ſe obtulerũt quatuor elegantiſſima opidula, in amœniſſima valle ſita, vnde Valenſi regioni nomen ſcilicet ab hac aprica & ſpecioſa valle: Quæ opida, non niſi paucis millibus ab inuicẽ diſiunguntur. Quodque in ipſo montis pede ſitum (incolæ Brigam vocant) intrauimus, tempusq; fuit, equorum ſpumantia ſoluere colla. Tu vero, amice Lector, iam mecum concipe, Valeſiam ſe habere inſtar quercus, vel cuiuslibet arboris coma trũcatæ: ſic illa iacet inter prærutptos & eminentiſſimos montes, qui tamen à Valenſibus inhabitantur ſatis frequenti numero: videturq; illa, vt ſic dicam, arbor habere ex duobus lateribus quaſi prodeuntes ramos, id eſt, alias quaſdam planities & valles, quibus induſtrij homines habitant, & anguſtis vijs in maiorem illam vallem vltro citroque commeant. Adeo vt ad fanum

S. Mau-

S. Mauritij, opidum inter altiſſimam rupem & Rhodanum ſitum, cũ veniſſemus, atq; ab hoſpite varia quæreremus, inter cetera, iſtud etiam me rogauit: videsne, inquit, iſtam elatã & prætuptam rupem quæ opido noſtro imminet? video, inquam, & exſpecto quid vltra rogaturus ſis. Crederesne, mi Belga, in illa vel exiguam caſulam, vel hominis veſtigium? at inde paucarũ horarum ſpatio educã trecentos armatos viros, fortes, & manu promptos. Nec ita diu eſt quod ex Republica noſtra, abierunt nouem legiones pedeſtres militiam, conductæ ſtipendijs Regis Chriſtianiſſimi. Non tu, inquit, bone vir, primus id miraris: vix vlli exteri crediderint, tam anguſta valle tot homines degere: Et quæ noſtra potior felicitas, licet frequentes incolæ ſimus, quod pauci ad totiusReipublicę defenſionem & cuſtodiam ſufficiant. Diſiectis ſiquidem paucis põtibus, quibus ex Italia, Sabaudia, Heluetiaq; adimur, vel trecentæ ex noſtris feminæ, armatæ ſaxis, prohibeant copioſiſſimos virorũ exercitus. Adeo natura nos vndiq; circumſepſit alpinis mœnibus, contra quorumcunque hoſtiles incurſus. Plura parabat dicere: at agaſo ad conſcendendum vrgebat. Eſt vallis hæc, à parte Sabaudiæ inter montes S. Bernardi, vt vocant, ſita, & ex altera Helueticos: Qui altitudine immenſa pręditi, & quaſi diuina quadam cura diſiuncti, in medio complectuntur locum, cuius

longitudo ad triginta Leucas porrigitur, id eſt, à Briga ad lacum Lemanum. Latitudo vero in alijs partibus Leucam, in alijs etiam paulò plus minusuè habet. Per hanc planiciem ruit potius quam labitur Rhodanus, in quem reliqui fluuij, ex vtrimq; ſitis montibus influunt, & aquam ei copioſam ſubminiſtrando magnum efficiunt. Hic locus varia & omnis generis oblectamenta habet, partim ſpontanea naturæ opera producta, partim induſtria incolarum. Nam in eo vineæ elegãtes, omnis generis arbores pomiferæ, olera, legumina, paſcua, agri, luci, pergulæ ex vitibus, ſub quibus viatores ab æſtu ſolis tuti degunt, ſuauiterq; carpunt viam. Media valle ſita eſt metropolis, quam Sedunum vocant, vetus Epiſcoporum ſedes, quæ duabus arcibus in rupe ędificatis munitur, quas Epiſcopus inſidet, & prędidio munitas tenet. Sunt vniuerſim, ſi recte calculum ponam, præter frequentiſſimos vicos & pagos, qui tota valle quaſi ſparſa iacent, opida omnino duodecim, exceptis arcibus, alijsq; propugnaculis tam induſtriâ hominum quam naturæ prouidentia & benignitate factis. Vltimus vicus iuriſdictionis Valenſium eſt Bouillium, ſitus ad lacũ Lemanum, cuius ripa ad Leucam ſpectat ad Valenſes, reliquũ ad Sabaudum. Atq; hinc ſuauiſſima eſt nauigatio Geneuã, per placidum illum & quaſi criſtallinum lacum. Altiſſima, & vt ita dicam, æterna pace fruuntur

Valen-

Valenſes: nec maiorem felicitatem(ſi eâ maior dari queat)aliasq; commoditates alijs inuident nationibus,ipſi perpetuo cōtēti ſuis,ſibi à natura aſſignatis terminis, & qui inuadi nulla externi principis potētia poſſint.Vna ipſis eſt aſſidua pugna cum Rhodano, qui imbribus niueq; tumeſcens longe lateq; damna toti Regioni quādoq; infert: Et huius continendæ violentiæ & exundationis,omnis incolarum deſudat labor, nec ad aliud vllæ fiunt exactiones operariæ niſi ad reſiſtendum flumini; pecuniariæ nullæ ſunt; ſed vnuſquiſq; ſub vite ſua & ficu tranquille ſedet, & bonis ſibi à Deo conceſſis fruitur, nullo ære grauatus publico. Liberrima &felix Reſpublica,cui ego apprecor omnia quam feliciſſima, & quam maxime diuturna, hocq; exiguum illi mnemoſynon exterus pono in gratitudinē benigni hoſpitij. Vnum modo queror,equos conductu nimis caros, nec ſufficienter commoditatibus itinerantium prouiſum, cui tamen,vix vllo negotio,Reſpubl. mederi queat. Alioquin breuiſſima iſtac ſecuriſimaq; via eſt in Italiam, nec forte quempiam pœnitebit vidiſſe Valeſiam, cuius animo inſederit peregrinari.

Tenue vero hoc de Valeſia ſcriptum,Pręclariſſime Domine,Godefride Typoëts, Patrone colendiſſime, paulò elegantius prœli beneficio ad te redit,quod tui cauſa primū edidi. Quamuis enim nō in eum finem conceperam vt pub-

pauci imitari, certe ex iuſto nemo reprehendere, ingenti afficior lætitia, communique vtriuſque noſtrum patriæ gratulor, quæ meritò exultat & ſuperbit tanto ciue & alumno. At iſthæc hactenus. Perlegi, quo me abeuntem donaſti munere, ipſius ad te epiſtolam vere elegantem, & quam auro non permutauerim. In ea differit de tetracty Pythagorico, validiſque rationibus, & coniecturis non aſpernandis illum genti Iudæorum adſtruit, vultque fuiſſe proſelytum, & ſacris Iudæorum initiatum: vnum agnouiſſe Deum, ſacrasque legis Moſaicæ obſeruationes edoctum, pulcherrima morum præcepta, & arcana Diuinæ legis incruſtaſſe fabellis. Iſtud vt credam, quamuis me eò ſatis inclinent, quæ Vendelinus, incomparabilis doctrinæ vir, attulit: attamen magis propendeo ob alia, illi non dubito viſa & obſeruata, ſed forte neglecta. In primis, qua de cauſa dicemus Pythagoram abſtinuiſſe perpetuò carnibus, illarumque vſu interdixiſſe ſuis ſequacibus; niſi quod Iudaicas ceremonias amplexus carnibus vniuerſim abſtinere maluit, quam vt ſuilla ſe contaminaret? Olera, leguminaque ad vitæ neceſſitatem delegit, niſi vt legi Dei morē gerens, Danielis Prophetæ, quem magiſtrum habuit & inſtitutorem (fuerunt enim Synchroni, vt Vendelinus liquide demōnſtrat) abſtinentiam, victuſque parſimoniam æmularetur? Et hinc à profanis homini-

minibus illius irriſæ fabæ. Deinde male audijt, quod animorum doceret migrationem in alia atque alia corpora, iuxta quod prius bene vel ſecus homines vixiſſent. Quæ calumnia videtur inde traxiſſe originem, quod Pythagoras non modo in lege, ſed cabala Hebræorum doctiſſimus ſuos doceret futuram carnis reſurrectionem: illamque duplicem; glorioſam bonorum, improborum ingloriam & ærumnoſam. Quod dogma diſcipuli male feriati, vel exoſi gentem Iudæorum, adulterarunt, aliterque interpretati ſunt, quam à ſapientiſſimo Philoſopho (quod nomen ille primus præ modeſtia aſſumpſit, cum ante Sophi vocarentur) fuerant edocti. Ad hæc, rigidiſſimum ſcholæ ipſius edictum erat, ne quis loqui auderet, aut contra quæ docebantur mutire: quique ipſi operam dabant, neceſſe vt ſe triennij ſilentio multarent, quod illa Diuinæ legis præcepta non humanis nitantur rationibus, ſed pia credulitate ſint amplectenda. Hinc illud Pythagoricæ Scholæ dictum celebre, *autos epha.* non quod effatis ipſius ea ineſſet certitudo, cui omnes aſſentiri deberent; infallibileque foret quidquid diceret: ſed cum diſcipulis enarraret tradita ab eo, *cuius iudicia vera, iuſtificata in ſemetipſa*; non erat quod vlterius rationem quis expoſceret. Hinc qui arcanum illud non capiebant, *Ipſe dixit, ſat habemus probatio-*
num,

num, irriſorie vſurpabant. Scripſi hæc, Ampliſſime Vir, in meridie; quamuis in tantis obſcuræ antiquitatis tenebris nocte opus foret, quæ Græcis euphrone dicitur, quod prudentes ſuggerat cogitationes.

Æternum vale.

F I N I S.

Digitized by Google

ELENCHVS

PROBLEMATVM,

PRIOR NVMERVS DENOTAT Problema, poſterior folium.

Problema 1. *Quomodo quis deprehendere poſſit eos, qui maleficium corporis, aut obſeſſionẽ à dæmone ſimulant.* 9

2. *Quomodo refellendi necromantici, arioli, & id genus homines, qui ſe iactant futura poſſe prædicere.* 18

3. *Ingratiſſimam ranarum coaxationem noctu compeſcere.* 19

4. *Deliquio animi laborantibus extempore ſuccurrere.* 20

5. *Oues & boues, quæ ſæpe videntur affectæ veneficio, curare remedio naturali.* 21

6. *Habito grano frumenti inuenire omnia genera menſurarum.* 23

7. *Deprehendere æſtimationem auri.* 24

8. *Ex colore nubium præſagire pluuiam.* 25

9. *Salem quam diutiſſime ſeruare nihil imminutum.* 28

10. *Vim Magneticam obtundere.* 29

11. *Plumbum in ramuſculos diffundere nullo adhibito inſtrumento.* 30

12. *Quomodo parentes filias ſuas poſſint reddere doctiores & meliores, ſi quædam quod fit magnis ſæpe impenſis, non doceantur.* 31

13. Quo-

13. *Quomodo diſpellendus ſit metus annorum Biſſextilis, & Climacterici.* 35
14. *Aërem æſtate calidum frigefacere.* 39
15. *Efficere vt quis labia tamquam ad loquendum moueat, & tamen non loquatur.* 40
16. *Mures, glires, cimices, culices, formicas, & id genus alia animalia abigere.* 41
17. *Quò minore labore plurima diſcas.* 42
18. *Efficere vt quis naturali deſiderio docendi ſcribendiq; teneatur; non ex ambitione, vel auaritia.* 43
19. *De terramotu anni 1640. Vtrum ille quid portendat?* 47
20. *Prædicere de pueris, quales poſtea futuri ſint.* 50
21. *Vtrum quis poſſit efficere vt duo corpora ſe inuicem penetrent naturaliter?* 52
22. *Vt quis rectam colorum temperaturam ex ratione phyſica nouerit, & deſcribat, etiamſi artem pictoriam non didicerit.* 53
23. *Quam facile ſit illum decipere, qui nimis certo aliquid ex inſpecta vrina de morbo interno ſtatuere velit.* 55
24. *Efficere vt quis ſonum audiat etiam nō mediante aëre.* 56
25. *Quantum nubes diſtent à terra, edicere.* 57
26. *Quot arteria det pulſus ſpatio vnius horæ.* 58
27. *Edere boatum tormenti bellici abſque nitrato puluere.* 59

28. *Indices Ventorum deſcribere.* 60
29. *Quibus diebus poßimus prædicere diuturniorem pluuiam, vel gelu.* 65
30. *Vt ſonitus tympani audiatur à decẽ vel duodecim leucis.* 48
31. *Incubãtis gallinæ oua præſeruare à tonitru.* 65
32. *Ferrum quomodo ſubito liquefacias.* 65
33. *Vtrum, quando tonat & fulminat, ſuſcitandi ſint dormientes?* 56
34. *Sudarium tenere in media flamma vt non comburtaur.* 67
35. *Ex ſaccaro ſcintillas excutere.* 67
68. *Iaculari bombardâ puluere remanente integro.* 68
37. *Quomodo puluis intẽdi & meliorari poßit.* 69
38. *Quouſque vir doctus amare poßit ingenuam puellam citra culpam.* 70
39. *Locũ inuenire vbi te ſuauis oblectet Echo.* 81
42. *Quomodo naturaliter nulla adhibita arte detur vacuum in rerum natura.* 82
41. *Aliquem ſuſtentare ſine cibo & potu.* 83
42. *Aërem mutare in aquam.* 84
43. *Velocitatem curſus Solis deprehendere.* 86
44. *Intempeſtiuis diſputatoribus occurrere.* 86
45. *Alueos diducere ad irrigandum prata & hortos.* 84
46. *Vt quis eſum ouorum auerſetur.* 90
47. *Remedium malorum præſtantißimum præſcribere, quo ipſe vti aliquando non poßis.* 91

48. *Plus*

48. *Plus vrinæ egerere quam potus vel cibi ſumpſeris.* 95
49. *Inter nauigandum haurire ex Oceano aquã dulcem.* 96
50. *Carnem reddere piſcilentam.* 97
51. *Quomodo obuiandũ procellis, ne noceant.* 100
52. *Certiſsimo indicio inuenire Mare.* 101
53. *Filo ſerico irreparabile pondus adimere.* 101
54. *Remedium phyſicum ad comprimendos indebitos carnis motus.* 102
55. *Vt maſſa terræ expreſſâ aquâ, cui commiſcebatur, fiat grauior.* 104
56. *Aqua ignem accendere.* 105
57. *Vt quis numquã mane poſt ſomnũ ſitiat.* 107
58. *Parare lampadem quæ numquam ſit emungenda.* 108
59. *Vt tenuiſsimum filum igni iniectum nõ comburatur.* 159
60. *Aquam vino admixtam ſecernere.* 109
61. *Feſtinum & lepidum conuiuium apparare Venatoribus.* 111
62. *Spectrũ denſa nocte exhibere innoxium.* 112
63. *Pyrium puluerem cultro accendere.* 113
64. *Ouum recens intra paucos dies putrefacere.* 114
65. *Salubriorem potu aquam ſeligere.* 115
66. *Aquam æſtate congelare.* 120
67. *Nationi Poëtarum ſua aſsignare inſignia.* 120
68. *Ex nubibus volantibus prædicere pluuiã.* 203

69. *Ra-*

69. *Ratio qua Pueruli creſcant.* 124
70. *Quot ex octo præcipuis ventis ſinguli leucas obtineant in horizonte noſtro viſibili.* 125
71. *Prædicere, an felix futura ſit vindemia.* 126
72. *Deprehendere errorem in computu Eccleſiaſtico, qui non ſit error.* 128
73. *Sanguinem ex vulnere, vel ſecta vena, copioſe profluentem, ſubito ſiſtere.* 129
74. *Vbi æſtate captanda aura frigidior.* 130
75. *Grandi malo leni verborum remedio occurrere.* 131
76. *Bulimina in itinere laborantibus ſubuenire.* 132
77. *Iridem lucente Sole exhibere in cubiculo.* 142
78. *Vt circa lumen candelæ corona appareat.* 143
79. *Vt quis ceteris cernentibus Iridem non videat.* 144
80. *Vt pauo incubans albos excludat pullos.* 144
81. *Vt ſolem perfectiſſime videas.* 145
82. *Ex eodem vaſe diuerſæ notæ vinum depromere.* 146
83. *Vinum ferucfactũ phiala vitrea excipere.* 147
84. *Iniquæ bilancis fraudem detegere.* 147
85. *Ferrum durius reddere exiguo tempore.* 149
86. *Deprehendere, vtrum quis à morbo Neapolitano recenter curatus ſit.* 149
87. *Vtrum ſurdi percipere queant ſonum v. gr. cytharæ vel lyræ ex guſtu, contactu inſtrumenti?* 150

88. *Præ-*

88. *Præſagire tempeſtatem ex geſtibus brutorum.* 151
89. *Imitari ſtellas in cælo diſcurrentes.* 153
90. *Non obſcurum veſtigium SS. Trinitatis in naturalibus deprehendere.* 154
91. *Vt lapidem exigui ponderis quis è menſa tollere non poſſit.* 155
92. *Deſignare tempus venationi oportunum.* 156
93. *Quanam aura præſtet iter facere.* 157
94. *Prædicere annonæ copiam.* 158
95. *Vt puer decennis arborem decem millium & amplius librarum ſurſum, deorſum; dextroſum, ſiniſtrorſum agat.* 160
96. *Alicui horrorem incutere ſine noxa.* 161
97. *Plumbum citius quam butyrum liquefacere.* 162
98. *Quomodo hieme itinerantes ab igne ſibi caueant, ante quem in ſtramine dormiunt.* 164
99. *Lebetem feruida aqua plenum tangere nuda manu.* 165
100. *Equites aduentare à quinque, ſex, & amplius leucis, quomodo percipias.* 166
101. *Pilam æream aquæ inijcere vt reſiliat.* 167
102. *Quò Typographi Colonienſes correctiſſime imprimant.* 168
103. *Quò ſtudioſi facilius ſoluant Ænigmata.* 169
104. *Philtron efficax ad conciliandum conſeruandumq́ amorem inter coniuges.* 171

105. *Quò*

105. *Quâ breuius tutiusque penetretur in Italiam.* 189
106. *De Pythagora.* 198

Mendæ Typographicæ.

Pag.	*lin.*	
9.	2.	*lege*, maleficium.
21.	24.	*lege*, experiens
23.	*vlt.*	a latitudine, *lege*, à longitudine.
26.	2	*lege*. rubent. *lin. vlt.* tepidum.
27.	18.	quam, *lege*. quem.
28.	2.	*lege*, iſtius cauſa.
32.	26.	muſicam.
44.	14.	cauere, *lege*, canere.
66.	12.	*dele*, in.
67.	13.	*lege*, comburatur.
68.	17.	febibus, *lege*, felibus.
72.	2.	medio.
75.	*vlt.*	vel, *lege*, nec.
87.	2.	oſtandi, oſtentandi.
93.	8.	*lege*, depredicabilem.
95.	22.	*lege*, aqueſcunt.
97.	penult.	pinnarum.
151.	14.	voces, *lege*, rores.
160.	3.	*lege*, decem millium.
172.	penult.	*lege*, præſidiaque.
173.	10.	diſcrucies.
179.	11.	minis, *lege*, minus.
180.	4.	elatio, *lege*, elatis.
182.	4.	magni, *lege*, magis.
183.	12.	raro, *lege*, vero.

* *
*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE